# PROSPERI ALPINI
## DE MEDICINA AEGYPTIORVM
### LIBER SECVNDVS.

*De vsu mittendi sanguinem, apud Aegyptios Medicos frequentato, & cur apud ipsos sanguinis vacuatio sit familiarissimum remedium.* Cap. I.

GVILANDINVS, ALPINVS.

VM te nondum ad me redijsse Sole iamdudum diem aperiente admirarer, demum in uia te conspicio, externis ferè sopitis sensibus gressus cum profunda quadam animi cogitatione mouere, quasi semistupidum, atq; comatosum, viridarium versus deambulantem, à qua tamen non ausus sum te reuocare, ne tuam aliquam voluptatem perturbarem, sed quid istud est, quod tu ambulando ita profundè cogitas, atque ita altius contemplaris. ALPIN. Ne frustra tempus contererem, eundo, atque more Peripateticorum deambulando, varia præsidia, quibus Aegyptij medendo vtuntur, in memoriam reuocaram, materiamq; ita paratam mecũ ipse reputabam ad futuram de ipsa hodierno die tractationem, ne ego, vbi te in viridario conuenissem, in mora interim essem nostris iam cæptis sermonibus. GVILAND. Rectè sanè fecisti, eam te nunc vbi in huiusce amænissimi viridarij secretiori solito recessu ambo conuenimus, referre æquum est. ALPIN. Tres esse medicinæ curatricis partes, (quas fontes auxiliorum, vel præsidiorum vulgus medicorum appellat.) omnibus manifestum est, ea scilicet, quæ victu, quę medicamentis & quæ manu exercetur. has vocant nostri diætetica, pharmaceuticã, & chyrurgicam. prima omnem victus rationem continet, quæ ægrotis conducit, secunda, medicamentorum

vsum

vſum complectitur. Tertia ea pręſidia pertractat, quæ manus opera adhibentur. Cum itaque omnes hæ medicinæ partes iuxta illorum populorum vſum percurrendę nobis ſint, ne quippiam ad medendum vtile omittamus, in primis à poſtrema parte exordiri, ab hiſtoria quippè auxiliorum, quæ manu exercentur, optimum fore iudicaui, præſertimq; à mittendi ſanguinis ratione, quam illi ſequũtur, quòd hęc medicinæ pars apud ipſos in curandis morbis ſit cæteris partibus vſitatior, atque familiarior. Pręcipua vero huiuſce partis capita, de quibus nunc inſtituenda eſt oratio, eundo & cogitando, priuſquam huc peruenisſem, planè firmaui. Quę omnia nihil aliud decernunt, quàm mittendi ſanguinis rationem, atque vſum apud Aegyptios frequentatum. tum nonnullos etiam vſus partes varijs morbis addictas, innurendi, cauterizandive, atq; quaſdam etiam pręcipuas alias chyrurgicas operationes, tum ad ſuppuratos, tum ad hydropicos, tum ad illos, qui ex lapidibus in veſica dolent, atque ęgrotant, ad aliasq; etiam multas affectiones. Sed quid in his amplius moror, melius eſt, vt de his nunc loqui incipiam, ne inceptum hunc diem ſine longa linea abire ſinamus.

Gviland. Iam his pręmiſſis, tempus eſt, vt ad vſum mittendi ſanguinem apud ipſos frequentatum, te conferas. Ideo, ſi lubet incipere poteris. Alpin. Communiſſimum eſt, admodumque familiare in tota Aegypto medicum pręſidium, quod ſanguinis miſſione tractatur. Ita, vt omnes cuiuſque ſexus, ætatis, complexionis, quocumque anni tempore, in quouis morbo libentiſſime largius, ſępiusq; uarijs modis mittere ſanguinem conſueſcant. Omnesq; ſanguinis euacuationem libentius, quàm alia medica pręſidia admittunt. quiſque etenim huic remedio nimium confidens, ipſum quocumq; morbo correptus magna ſpe arripit, idq; triplicem ob cauſam, in primisq;, quòd omnibus plane perſuaſum ſit, vt ſuperius dictum eſt, quoſlibet ferè morbos ibi vel à caliditate omnimoda oriri, vel cum alijs cauſis caliditatem etiam adeſſe. Ex quo quęlibet ſanguinis euacuatio multum refrigerat, ſanguinis miſſione ita facile vtuntur. Secundo, ibi quiſq; arbitratur, corpora illa multo ſanguine abundare, ob largum aquæ Nili fluminis vſitatum potum, quę ut illorum eſt opinio, tota in ſanguinem vertitur, vimque gignendi ſanguinem ipſam ex eo tempore putant adeptam, ex quo Moſes Dei pręcepto aquas in ſanguinem mutauit. Demum addunt etiam, ea corpora nõ eſſe mali ſucci, quę cachochyma Grę-

ci

ci vocant, ſed boni multiq; ſanguinis, quę plethorica plenitudine correpta, dicunt. Gviland. Omnium morborum cauſam pręcipuam habere, caliditatem, quod iſti autumant, planè falſum, atq; à veritate alienum eſt. neque hoc vlla egere demonſtratione, exiſtimo, cum nulla ex parte id verum eſſe poſſit, nam ſi ex vno homo conſtaret elemento, vtique, vt dicebat Hippocr. non doleret. Corpora enim varijs pro varietate pręcipuorum membrorum, naturis conſtant, varijsq, humoribus redundant, adeo, ut interim à caliditate, unoq. humorum exuperante laborent, & interim à frigiditate, ac alio humore, vel aliquando à multis ſimul iunctis. Et ſi corpus aliquod calidis pręciſe morbis, ob eius temperiem, obnoxium erit, non tamen omnino. Redundare vero plurima ipſorum multo ſanguine utique uerum eſt. quoniam omnia eorum viſcera quo ad calorem, vt dictum eſt, temperata, boniq; ſucci exiſtunt, quo temperamento omnes cibos in bonum ſanguinem mutant, veluti contra, cachochyma corpora mali temperamenti, cauſa quoſcumque etiam optimos cibos in malum ſanguinem vertunt. Atque hinc vſus mittendi ſanguinem ita apud eos inualuiſſe dici poteſt, quando ex omnibus medicis pręſidijs, omnia fere corpora, quia ſanguine potius, quàm alijs humoribus plerumq; offendi ſoleant, ſanguinis euacuatione promptius iuuentur. Alpin. Verum dicis, ſed de ſanguinis euacuatione, idem, quod ex uſu alterantium medicamentorum illis aliàs eueniſſe dictum eſt, contingit. Etenim quia illorum locorum populi, ob cœli, ſub quo degunt, multam caliditatem, putant omnia illorũ corpora eſſe ſumme calida, atque à calore fere ſemper affici, minimeque à frigore, quæ corporum credita temperies omnem calidorum medicamentorum uſum eos abhorrere coegit; frigidaque complecti, atque frequentare: non ſecus quam etiam frigidorum locorum accolæ immodice calidis operã dare, à frigidis timere conſueuerunt, ita Aegyptij in miſſione ſanguinis ſe gerunt, putantes corpora omnia, tum a calore ob cœli ſtatum, pati, tum à copia ſanguinis, quod aſſidue ipſa multum ſanguinem congerere arbitrentur, & quia ſanguinis euacuatio utrique incommodo prompte, ac tutò ſuccurrit, quoniã tum refrigerat, tum plenitudinẽ demit, libentiſſime eam amplectuntur. ſanguinemq; tum largius, tum frequentius quàm deceret, atq; neceſſitas expoſcere videretur, in omnibus pueris, iuuenibus, viris, ſenibus, mulieribus, eunuchis, atq; in quocumq;

cumq; cœli ſtatu, & tempore anni, atque morborum differentia ſæpiſſime uacuant. Demum eo redacta res eſt, ut tantum euacuationis ſanguinis uiribus ſiſi incumberent, vt alia auxilia ſpernentes hoc immoderatè vtantur. ualdeq; in uſu huius preſidij errare mihi videntur: quando tum largius, tum crebrius quàm deceret, audacter mittant ſanguinem, atque adeo in multis, in quibus pluribus de cauſis hoc remedij genus non conueniret. Dictum ſiquidem eſt, multa ex illis corporibus ad frigidam temperiem inclinare, hincq; & pinguiſſima ibi multa, & pleraq; mollia, rariq; habitus, & facile diſſolubilis eſſe, his nulla ſanguinis euacuatio familiaris eſſe poteſt. ut Gal. in lib. de curat. per ſang. miſſ. teſtatum reliquit. Quamobrem hoc remedium multis opportunum, in omnibus ab ea gente vſurpari non eſt laudandum. GVILAND. Non rectè hoc intelligo, ſed accuratiorem, atq; abſolutiorem illorum corporum temperamentorum cognitionem ex te libenter audirem, ſine qua fieri non poſſe videtur, ut mittendi ſanguinis ratio apud illos vſitata nobis innoteſcat. proinde itera mihi rurſum Aegyptiorum corporum temperamenta. ALPIN. Sed ut rectè ea cognoſcere poſſimus, primo ineundam eſſe puto rationem illius quæ in uarijs corporibus eſt temperies, atque habitus. Quę rectè explicata, facilius illorum hominum naturas, atque habitus varios demonſtrabunt. GVILAND. Verum dicis, atque ut commodius videtur, ſit agito.

## *De ratione variorum corporum temperamenti, atq; habitus, deq; Aegyptiorum vario temperamento, & habitu. Cap. II.*

### ALPINVS.

CVm corporum, eorum qui Aegyptum habitant, temperies atque habitus rurſum accuratius à nobis ſit cognoſcendus, vt apud ipſos mittendi ſanguinis vſus rationem vere conſequamur, prius vniuerſali quadam via ratio varietatis temperamentorum, atque habitus a nobis eſt cognoſcenda. Siquidem illorum corpora omnia eſſe ſanguinea, ſanguineq; multo abundare, neque dici poteſt, neque utiq; uerum eſt. Nuſquam

enim

enim corpora omnia vnico prędita temperamento obſeruantur. Neceſſarium etenim eſt, ubique multa ex varijs conflata temperamentis reperiri, ſcilicet quæ ſanguinis, quę pituitę, quę bilis, quæ melancholię naturam ſint adepta. quę temperamenta ſequuntur cordis, hepatisque temperaturam: ab his ſiquidem duobus membris vniuerſum corpus propriam nanciſci temperiem Gal. in lib. artis medic. teſtatum reliquit, uel etiam ab alterius illorum dominantis temperamento. Qua quidem ratione quale utriuſq; membri, vel prędualentis temperamentum, atque habitus erit, tale obſeruabit in vniuerſo corpore. Quo fit, ut ſi alicuius cor heparq; ſimul calidum humidumq; temperamentum à natiuitate obtinuerint, idem in vniuerſo corpore intueri ſit neceſſarium, idemque erit totius corporis temperamentum, quod in hepate cordis temperamento præualente, vel in corde hepatis temperiem vincente, obſeruabitur. Ex quibus dici non immeritò poteſt, Socrates conſtat calido humidoq; temperamento, igitur vel vtrumq; eius membrum, cor & hepar, erunt calida & humida, vel ipſorum alterum alteri prędualens. Corporis itaque totius hoc temperamentum prędictorum duorum membrorum, vel alterius altero præualentis naturam ſequi eſt neceſſarium, veluti calidum & ſiccum, bilioſum cordis & hepatis ſimul, vel alterius altero dominantis caliditatem & ſiccitatem. Et frigidum ſiccumq; melancholicum, frigiditatem & ſiccitatem, frigidumq; & humidum, pituitoſum, frigiditatem, atque humiditatem eorumdem viſcerum, vel vnius tantum, quod altero prędualet, naturam ſequitur. Hæcq; ſunt omnia compoſita corporum temperamenta, quæ à temperamento cordis atque hepatis ſimul, vel alterius horum alteri prędualentis, proficiſcuntur. Cum igitur vniuerſum aliquod corpus caliditate & humiditate conſtat, quod temperamentum ſanguineum dicimus, illius corporis vtrumque ſimul cor, atque hepar calidũ & humidũ temperate eſſe, vel alterum illorum non temperate, ſed intenſe, ita, vt ſi cor ſit calidum & humidum diſtemperate, hepatis temperatam frigiditatem ac ſiccitatem ſuperare neceſſarium eſt, & eodem modo hepar, ſi hanc ipſum obtinuerit temperiẽ, ac cor ei obſtiterit. Si uero cor & hepar æque oppoſitę fuerint naturæ, ita, ut cor tantum ſit calidum & humidum, quantum hepar eſt calidum ac ſiccum, atque è contra, temperiem corporis totius temperatam efficient; quòd ſi cor caliditate hepar ſuperauerit, totum corpus tan-

tum

tum in caliditate excedet, quantus erit caloris cordis excessus supra hepatis frigiditatem. quemadmodum si excesserit hepar frigiditate cordis caliditatem, tantum fieret corpus frigidum, quantus erit excessus frigiditatis supra caliditatem cordis. Hæcq; sunt corporum temperamenta, modo nuper dicto à temperie cordis & hepatis prodeuntia, ac genita, quę omnia non in vno, veluti neque illorũ unum tantũ tẽperamentũ, in omnibus hominibus reperitur. Quod quamobrẽ sit, idest cur oĩa corpora non uno eodemq; tẽperamẽto cõstent, sed multis ac inter se uarijs, ex te nũc libenter discerem. GVILAND. Miror cur cum tu sis adeo astronomis addictus, huius rei causam ab ipsorum obseruationibus addiscere nolueris, quando omnes astronomi corporũ naturas à cœlestis schematis in hora natiuitatis supputati obseruatione speculentur. Considerant enim quæ cœli facies, in ea hora, qua quis natus est, terris incumbebat; cœlum siquidem in duodecim partes diuidũt, & in qualibet illarum (quas ipsi domus appellant.) considerant signum, quod ex duodecim cœlestibus imaginibus ea hora reperiatur, atq; ex erraticis stellam ibi simul inuentam. ex horumque omnium, scilicet ex domo, signo, & stellis ibi ortus tempore obseruatis iudicium excipiunt, naturasq; hominum venantur à prima domo, quæ est orientalis cœli pars, & ex signo ac stellis, quæ in ea domo inuenta fuerunt, vel eam domum respiciunt. Tuam itaque naturam calidam humidamq; illi affirmarent, quoniam in tuæ generationis schemate libra ascendens obseruetur, quam naturam ab eo libræ signo manifestari aiunt calidam humidamq; temperatam, hincq; etiam hilarem ac musicæ non minusq; veneri deditum hominem significari, a venere libræ domina. literarumq; studijs præsertimq; astronomiæ, philosophiæ, medicinęq; operam te maxima delectatione deditum, Mercurius in nona domo in signo Geminorum clare iudicabant. eodemq; etiam in nona inuento, nuper dictarum scientiarum causa te longissimas peregrinationes, fastidiosissimaq; itinera prosecuturũ. Sed cur ego de te tanta ex astronomorum mente loquor, de quo exempli causa dicendum suscepi, vt ostenderem cum astronomis, hominum temperamenta, ac naturas ex signi natura, atque stellarum, orientis in prima cœli domo inuentarum cognosci. Sed istis causis omissis, aliæ ad hanc rem firmiores ac veriores sunt indagandæ. ALPIN. Gratissimum mihi fuit ea ex te audiuisse, quibus meam ad astronomorum obseruationem

ſeruationes naturā retuliſti: quæ cum haud planè verum attingāt, perge modo phyſice magis me docere, cur varij homines inter ſe varijs conſtent temperamentis, vel naturis. GVILAND. Qui de natura ſcripſerunt, in multis hominibus diuerſorum temperamentorum, vel naturarum cauſas, verius, ac manifeſtius nobis demonſtrarunt. Namque Ariſtoteles omnium philoſophorum facile primus in lib. 2. de phyſico auditu affirmauit, Solem atq; hominem, hominem ſanè generare, ut ipſe doceret, ad animalis generationē duo agentia eſſe neceſſaria, quippe agens proximum, atq; remotū, proximum eſt homo, qui ut animal ad ſui ſimilis generationem, agit. Sol uero eſt vna ex cauſis efficientibus remotis; quæ etiam concurrit ad eandem animalis generationem adiuuandam, & efficiendam. Agunt vero utraque in materiam bene diſpoſitam ad agentis formam introducendam. Tria itaq; ad noſtrorum corporum generationem prima concurrunt principia, quarum primum eſt cœlum, vtpotè cauſa efficiens, ſub qua omnia cœleſtia corpora comprehenduntur. Secundum eſt homo, mas ſcilicet & fœmina. Tertium materia ex qua homo generatur, id uero eſt ſemen humanum. Qualis igitur temperamenti erunt hæc generationis principia in homine gignendo, talis itidem homo genitus erit, quando perpetuo uerum ſit, generatum generanti eſſe ſimile. Siquidē omne agens vel animatum, vel inanimatum, agit, vt ſibi ſimile generet, hincq; quodlibet generatum erit ſimile generanti, & generans generato. ALPIN. Mihi non omnino hæc veritas manifeſta videtur, cum multi homines ijs, à quibus geniti ſunt, haud planè ſimiles exiſtant. Plures etenim filij patribus ac matribus diſſimiles apparent. quod quidem non eſſet, ſi generata omnia, ijs, quæ generant eſſent ſimilia, & generantia generatis. GVILAND. Aliam ſuſcepiſti nunc quęſtionem ſolutu non ita facilem, quam nunc ut diſſoluam, neq; locus, neq; occaſio de qua loquimur expoſtulat. Multa tamen ſunt, quibus efficitur, vt generati hominis patris, ac matris fruſtretur ſimilitudo. Sæpe enim accidit fœtus ſimiles produci cuipiam vel viro, vel fœminæ in hora coitus imaginatis. Legitur mulierem ſæpe coeundo, Ethiopis nigri pictam figuram intuendo, atq; imaginando tandem nigrum filium peperiſſe. Hincq; affirmant multi, adulteras mulieres prę timore ne à maritis in adulterio comprehendantur, aſſidua de illis dum coeunt, cogitatione filios maritis ſimiles parere. Aegroti itidem ſemen vitiatum habentes,

text. 26.

bentes, ſimiles ipſis natos efficiunt. Semina etiã auorum uel aliorum conſangnineorum aliquando vim retinuerunt, à quibus ipſorum ſimilitudo in conceptis non raro efformatur, atque exprimitur. Cæterum tametſi aliqua occaſione generatorum a generantibus figura deformetur, tamen natura generatorum (quam philoſophi intelligunt) nihil ab ijs, quæ generant unquam mutatur. Quales enim erunt cauſarum ad generationem concurrentium naturæ, tales quoq; erunt eorum conſtitutiones, quæ ab ijs generabuntur. atque in hunc ſenſum non errat philoſophorum ſententia, quę ſemper generantis & generati ſimilitudinem docet, ideo generans ſimile eſt generato, & generatum generanti natura, atque ſpecie. Pręcipuum igitur agens eſt cœlum, ſub quo comprehenduntur omnia corpora cœleſtia, quod agit (vt Ariſtotelici aiunt) in hæc inferiora ſublunaria motu & lumine. In qua igitur orbis parte Sol, qui ex omnibus illis cauſis in hęc inferiora efficacius agit, maiorem inducet calorem, generata omnia natura vel temperamento calido referentur, atque vbi parum calefacit, minus etiam calida animantium corpora obſeruabuntur. In qua re in primis occurrunt terrarum regiones conſiderandæ, locorum ſitus, anniq; tempora. Quicquid igitur temperatis in regionibus, & locis, ob ſitus rationem temperatis, atque ex anni temporibus in vere producetur, temperato proculdubio temperamento conſtabit, maximeq; ſi natura animalis vtriuſque generantis, ſcilicet maris & fœminæ temperata & ipſa ſimul fuerit. Semper enim in temperata regione, & loco, & in vere ex anni temporibus, homo à temperato homine proximo generante, genitus erit temperamenti temperati, iccirco ei ex quo ipſe genitus eſt, temperamento temperato erit ſimilis. Homo enim locum habitans temperatum, ſi temperati ſit vnà temperamẽti, & ex anni temporibus in vere hominem generauerit, ei natura, vel temperamento omnino ſimilem efficiet. Si vero iſthæc omnia agentia inter ſe ſimul vnico non conſtabunt temperamento, ſed potius inuicem diſcrepabunt, non omnino generati generantibus cauſis ſimilitudo reſpondebit. Similitudo ſiquidem naturæ id quod alijs præſtabit abſque dubio ſequetur. vt ſi exempli gratia, quiſpiam ex patre naſcitur temperato, ſed in cœlo minus temperato, natura ſimilis magis patri quàm cœlo, erit. Siquidem in generatione magis poteſt agens proximum, & particulare, quàm remotum & vniuerſale,

quam

quam ob causam quando agens proximum, & agens remotum inter se differunt, proximum ferè semper superabit remotum, vbi præsertim vis agentis remoti non ita sit præpotens, vt possit vim proximi agentis superare, veluti exempli gratia, si daretur aliquis qui temperamento natus temperato, in Ethiopiæ maximis caloribus hominem generaret, absque dubio hominis illiusce generantis natura vinceretur à vehementissimo illius regionis calore, ibiq; natus ob id homo magis causæ efficienti, videlicet cęlo, quàm proximo agenti quippè patri, temperamento similis constituetur. Quando igitur omnia generationis principia simul in unà natura inter se conueniunt, efficiunt partus eis omnino similes: ac illis inter se dissidentibus geniti similitudo illud sequetur, quod aliorum vires superabit. Hinc colligo homines multis varijsq; constare temperamentis, ob variam principiorum uel causarum ad generationem concurrentium vim, atque potentiam: etenim ex patre calidi temperamenti homines orientur, eodem itidem temperamento præditi, nisi cœli præualida frigiditas patris temperamento calido obstiterit. Nam ea immoderata ob regionem, vel locorum situm, vel anni tempus hybernum existente, homines temperamenti potius calidi, quàm frigidi producentur. Atq; si pater & cœlum calidi fuerint temperamenti vel frigidi, soboles calidam vel frigidam itidem naturam præseferet. Si uero paterno sanguini calidi existenti temperamenti, cœli obstiterit frigiditas nō multa, homines geniti potius calidi, quàm frigidi erunt temperamenti. Et è contra, si homo generans frigidi temperamenti sit, in cęloque moderate calido, generabit hominem quo ad temperamentum frigidum. in cœloque immoderato calido, calidum efficiet. Hæcq; erit naturarū, temperamētorumve diuersorum in hominibus ratio. Alpin. Nę tu omnia, quæ ad temperamentorum varietatem explicandam rationem attinent, doctissime atq; accuratissime comprehendisti. Et nisi materia medica Aegyptiorum nos breuiores esse cogeret, cuperem ex te etiam hac eadem de re vberiorem sermonem haberi. De quibus ego in libris de præuidendis morbis Cayri conscriptis multa literis tradidi. Vnum tamen hic non esse prętermittendum cogito, quippè corpora in lucem cum prodeunt, vel statim enixa, uterumq; egressa, ex ambientis qualitate vel temperamento multum alterari, atq; mutari, ita, vt corpora infantium habitus rarissimi, ab aere alterata facile accedant

cedant ad aeris temperamentum. cum per poris cutis facile ambientis qualitas ad viscera permeet, ipsaq; ad suum temperamentum alteret. Hoc utique verum esse, id nobis persuadere potest, quòd uaria anni tempora, cuiuslibet ætatis corpora vsque adeo alterant, & mutant, vt suscepti ab ipsis temporibus anni temperamenti, varia humorum redundantia clarissimum sit argumentum, hyeme corpora, quòd ab aere frigido alterentur, & mutentur, frigidos humores gignere, ac coaceruare. Et vere ob aerem temperatum, sanguinem, Aestateq; bilem, ob caliditatem, & Autumno melancholiam, ob frigiditatem & siccitatem. Itaque si perfecta adultorum corpora, densissimæ cutis, vsque adeo ab aeris mutationibus alterentur ac mutentur, quid in tenellis corporibus infantium continuò ex vtero egressis fieri iudicabimus? Ipsa videlicet quam plurimum ab ambientis qualitate alterari, & mutari. Quod non videtur usq; mulierculis esse ignotum, aliquando dicentibus, de homine in hyeme nato à frigoreq; facile patiente, mirum non est, si hic homo ita a frigore multum ac facile patiatur, quando in lucem proditus hyeme fuerit. Quamobrem existimo, corpora statim enixa à cœlo maxime alterari ac mutari, presertimq; sub calidissimo cœlo nata. Vehementissimus etenim aeris calor, quocumq; modo fiat, remedijs, quibus moderetur atque contemperetur, omnino uacat. Cuius quidem rei ego in estiuis Aegypti caloribus certum periculum feci. Frigido vero aeri multa vbique sunt, quæ opponuntur, ab ipsoque corpora defendunt. Ob quam rationem in calidissimo aere orti, quin à calore multum alterentur, & mutentur, defendi nequeunt. Quod multò facilius fiet si ex homine calidi temperamenti etiam geniti sint. Si uero à frigido mare, atque fœmina gignantur, ambiens calidus aer eos reddet ad temperiem minus frigidam. Et qui ex calido semine, siue patre matreq; geniti in lucē eduntur sub cœlo frigido, quum ex calido proximi agentis hominis, & frigido agentis remoti cœli medium quo ad temperiem exurgere sit necessarium, temperatiori natura obseruabuntur. In calido vero cœlo, ijdem fient calidissimi. In aere vero frigido inopes tantum alterantur ac mutantur, cum diuites igne, pellibusq; à frigore liberos defendant. A caliditate vero omnes patiuntur, contra quam nullum hactenus validum remedium inuentum est. Cæterum his auditis, de illorum corporum, qui Aegyptum habitant, temperaturis, atque habiti-

bus iam loquamur. Gviland. Ex cœli Aegyptij ratione, atque ex incremento Nili fluminis, vna cum Septentrionalium ventorũ flatu, qui per æstatis calores percipitur, aerem calidum siccum, inęqualem, tenuissimumq; esse ex te audiui, neque in omnibus locis vniformem: quando aer locorum propè mare positorum longe minus calidus sit, valdeq; crassus, qui quo ad humiditatem & siccitatem temperatus est. In locis verò longe à mare positis aer calidior, & siccior, existit, substantiæq; minus tenuioris. Ex quibus, ratione cœli illorum quidem corpora, ob temperatum calorem, atq; humidum, temperata, sanguinea, habitusque moderate carnosi & pinguis, horum verò calidiora, sicciora, biliosa, gracilioris q; habitus esse colligimus. Quod tamen agentis tantum remoti ratione iudicatum, nisi proximum quoq; concurrat, non erit credendum, proinde de illorum hominum proximo agente, de homine scilicet mare, atque fœmina ibi ad generationem proxime coeuntibus, tempestiuum est te nunc loqui: Alpin. Audita locorum Aegypti, quo ad temperamentum, diuersitate, atque probè habitãtium illorum loci ratione perspecta, vnaq; illarum naturarum diuersitate, quę in illos, aeris temperamenti ratione obseruari deberet, quę tamen à proximo, tum agente, tum à potus, ciborum, dulciumque balneorum & veneris vsu mutata non obseruatur, de Cayrinæ ciuitatis hominibus agam, (idemque de alijs loca longè à mare posita, habitantibus, erit intelligendum, quod de ipsis nunc à nobis dicetur.) de ipsorumq; temperamento, atq; habitu loquar, quando à cognita ipsorum temperie, atque habitu, haud difficile aliorum locorum mari adiacentium hominum, & temperamenta & habitus intelligemus. Sunt vero ij populi triplicis differentiæ, vt etiam aliàs dictum est', scilicet vrbanorum, qui in vrbe degunt, Arabum extra vrbem sub tentorijs habitantium, atque demum rusticorum, terræ cultui incumbentium. Primi corpora in caliditate, atque humiditate temperata obtinent, multi sanguinis, habitusq; bene carnosi & pinguis. Secundi scilicet Arabes, corpora biliosa, gracilia; Demũ rustici squalidis corporibus pręditi sunt, quę melancholica existunt, quòd à Solis caloribus exurantur. Quamobrem singulos hos homines inter se seminis differentiam habere diuersitati temperamentorum respondentem, hinc colligi debet. Ciuium enim semen, quo ad caliditatem & humiditatem, temperatum erit: Et Arabum calidius, sicciusq; ac biliosius, atque

Rusti-

Rusticorum frigidius, siccius, & melancholicum. Hæcq; est illorũ sanguinis diuersitas, quę tamen nunc ob aliorum populorum permistionem haudquaquam perspicitur. GVILAND. Ab aduenis fortassè, qui illuc ex alijs regionibus commigrarint illorum sanguis permutatus est, apud eos facta multiplici imperij permutatione. Extant aduenæ multi, qui illuc ex quamplurimis locis, tum Ethiopiæ, tum Abissiæ accesserunt; præsertimq; mulieres mancipię, quarum utriusq; regionis numerus fermè ibi infinitus existit. maximeq; ex Abissiæ locis aduectarum. Hæ siquidem eam habent pulchritudinem & gratiam, vt longè cariori pretio venundentur, quàm omnes aliarum omnium regionum. Neque Aegyptij eas ad domorum obeunda opera emunt, sed pro veneris usu. Quam Aegyptij sanguinis mutationis causam minime spernendã existimo, quod ex te an sit verum melius audire expecto. ALPIN. Veris Aegyptijs, (Christianis exceptis) nunc tota ea regio ferè penitus caret. Quorum pleriq; sanguinis temperamento dignoscuntur. Fuere autem, vt a multis audio, antiquitus temperiei calidioris, atque siccioris, quippè biliosæ, sed tũ aquæ fluminis Nili, tum frigidorum ciborum assiduo vsu corporibus ad frigidum mutatis, tale temperamentum illos accepisse a multis proditum est. In alijs vero sanguis maior varietas videtur, quando & vrbani omnes Aegyptij sanguinem permiscuerint mulieribus, Arabibus, Turcis, Syris, Damascenis, Græcis, Italis, Sclauonicis, Vngaricis, Prussis, Tartaris, Abissinis, Ethiopibus, & in omnib. Africę locis Aegypto proximis ortis, in uenere vsi. Sunt pręterea ibi, vt aliàs dictum est, homines etiam plurimarum nationum, qui cũm omniũ locorum mulieribus coeuntes, sanguinem illum euariant. quem necessariò varium quoque sequitur temperamentum. Sanguis etenim Aegyptiorum sanguini Turcarum, Armeniorum, Vngarorum, Tartarorum, Sclauorum, Assyriorum, Gręcorum, Italorum, aliarum similium nationum cœlo minus frigido vtentium permistus, temperamentum constituit temperate calidum atque humidum, sanguineum. & cum Aegyptij, Arabibus, Barbaris, Abissinis, Ethiopibus, atq; ijs, qui Aegypti partem superiorem habitant, quam Sahit illi appellant, miscentur, calidum, siccumq; biliosum, atq; adustum sanguinem reddunt. Duo itaque videntur esse illorum corporum temperamenta, quæ omnibus illis dominantur, sanguineum scilicet, vocatum atque biliosum. Quæ illorum tempera-

menta maxime permutat ipsorum frequentata victus ratio, vt sæpissime hactenus à nobis traditum est. Vsu etenim potus illiusce optimæ aquæ, ciborumq; vim refrigeratoriam habentium, dulciũque balneorum, corpora summe biliosa contemperantur, sanguineaque euadunt, & sanguinea ab his, pituitosa fiunt. calore quippè hepatis refrigerato. Pituitosis uero ea viuendi ratione utentibus, maiori facta caloris refrigeratione, valde humidum, atq; frigidum temperamentum succedit; hincque Mulieres, Eunuchi, & prouectioris ætatis multi, pinguissimi ibi hac ratione facti conspiciuntur. Quamplures ibi reperiuntur naturę temperatæ, ac multi sanguinis, præterea intemperatæ ad frigidum, ex multa pituita. Non pauciq; ad calidum, ex multa bile, ac ad frigidum, per adustionem sanguinis, in melãcholiam vergentes, ut in quamplurimis Ethiopum, Arabum, Rusticorumq; uisitur. Atq; hæc de uniuersa illorum corporum temperie à nobis dicta sint. Addo, stomachũ ferè omnes imbecillum, frigidum ex nuper dicto viuendo modo obtinere, atque ex cœlo summè calido, quo vtuntur, calore aeris calidiore natiuum dissoluente, ad extimasque partes euocante: ut æstate in nostris fieri corporibus obseruamus; atque ab immodico usu ueneris, quĩ quantum stomachum refrigeret, debilitetque non est alicui nostrum immanifestum. Ad has causas illorum ventriculum labefactantes, accessit adhuc larga, ac crebra apud eos frequentata sanguinis missio. Quę quidem quomodo illis conducat, & quomodo etiam officiat posterius considerabimus.

## *In quibus morbis Aegyptij sanguinis missione utantur, atq; in quibus corporibus. Cap. III.*

### GVILANDINVS.

POSTEAQVAM tu illorum corporum temperamenta, atque habitus ita accurate complexus es, nunc opportunum est, ut ad euacuationem sanguinis apud ipsos consuetam redeas, deq; hoc medico prędsidio nunc loquaris. quandoquidem ita familiarissimum omnibus auxilium esse dixisti. In primis verò sedulo à te narrari cupio, quibus morbis eo auxilij genere ipsi occurrant, cum enim magnum sit remedium, atque in

magnis

magnis tantum morbis, ut Hippoc. atque Gal. docuerunt, expetitum, eos in ijs tantum curandis illo vti debere arbitror. ALPIN. Vsque adeo familiaris apud ipsos facta est sanguinis missio, vt non modo in omnibus acutis magnisq; morbis, verum in paruis quoq; non minus eam adhibeant. Cuius instituti causa videtur esse, vt nuper etiam dictum est, ea, quę ab illis omnibus corporum omniũ fere illorum putatur esse plethora, siue sanguinis redundantia, atq; etiam, quoniam ipsi hoc auxilij genus multum refrigerare experiuntur, iccirco omnibus ferè morbis opportunissimum id remedium arbitrantur, quando certissimum ipsis sit, ibi omnes morbos, ac symptomata, cœli calidioris, corporumque illorum ratione, à calida causa præcipue pendere. Sed vt particulatim rem colligã ac perstringam, dico eos confugere ad missionem sanguinis in omnibus putridis febribus, pestilentibus, & non minus in variolis, puncticulisq; pestilentibus, atque in omnibus internis inflammationibus, scilicet, phrenitide, atque in ea phrenitidis specie, quam Delel muia illos vocare diximus. sæpissimeq; in lethargo, in Angina, pleuritide, peripneumonia, hepatis, lienis, ventriculi septi transuersi, intestinorum, renum, vteriq; inflammationibus. In externis non minus copiosa vtuntur sanguinis vacuatione, præsertimq; in erysipelate quancumq; corporis partem occupante, sed pręcipue caput. Oculorumq; in lippitudinibus, ophtalmijsvè, gingiuarum, colli glandularum, fauciũ, linguę, in omnibus inflammationibus, parotidibus, bubonibus, carbunculis, cancris, alijsque omnibus tumoribus ortum a calidis humoribus ducentibus, atq; non minus in omnibus ab ijsdem succis obortis vlceribus. Idemq. etiam pręstãt maximis doloribus capitis, oculorum, gulę, aurium, dentium, pectoris, intestinorum, renum, crurum, articulorumque omnium, si modo non à flatulento spiritu, vel à frigido humore illi oriantur. Sæpe etiam in sanguinis profluuijs, aluiq; dysentericis fluxionibus. Pariterq; in conuulsis, epilepticis, vertiginosis, resolutis apoplecticisque, ac in immoderatis vigilijs, & in omnibus amentijs, in obstructis, hydropicisq; in principio multis. Cardiacis, hypochondriacis, leprosis, elephanticisq;, atque ferè in omnibus alijs morbis, vel symptomatis, quæ humana corpora inuadere solent, copiosam, frequentemq. exercent sanguinis missionem. In quamplurimis etiam corporibus sanitatis tempore, ad alios morbos pręcauendos id audent. Quam sanè euacuationem in omni-

bus corporum temperamentis, habitibus, ætatibus exercent, nullaq; pręcautione, quam obseruandam in hac euacuatione omnes docti medici docuerunt. Atque nihil minus ab assumpto cibo sanguinem uacuare moliuntur. GVILAND. Nunquid missionem sanguinis etiam frequentant in gracillimis illis squalidissimisque corporibus, quæ semitabida videntur, ac in pinguibus, mollibus, maximeque in mulieribus, atque Eunuchis. & non minus in pueris & senibus, absque debita prouidentia omnium, quæ obseruanda sunt, vt istud pręsidium conferat? Sed qua tandem illi prouisione pro missione istac sanguinis vtuntur. ALPIN. Cauent multi illorum, cum mittere sanguinem cogitant, ne corpora ieiuna sint, atque hinc ab assumpto cibo mittere sanguinem plerique solent. Minimeque, vt nostri medici in praxi, qui non immeritò animaduertendum censent, sanguinem educturi, ne crudi humores in ventriculo, cibusq; sit inconcoctus, itaque prius lenienti aliquo pharmaco, uel clystere purgatorio, aluum lenire fæcesq; educere nituntur, vel dictam tenuiorem imponunt, ut rectè cruditates concoquentur & expelluntur, ne ab emisso sanguine e stomacho
,, in uenas rapiantur. GVILAND. Galen. in lib. 9. meth. med. ait: si
cap. 5. ,, præcedat ciborum cruditas, tantopere differre venę sectionem iu-
,, bebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum, vt
,, excrementa descendant, videbitur. Atque in multis locis pręcepit, ante missionem clysterem purgantem pręmitti oportere, ut ne euacuato sanguine cruditates in stomacho, atque in primis uenis contentæ à uenis rapiantur, atque in uniuersum corpus excipiantur. Nunquam enim crudo cibo existente in uentriculo mittendum esse sanguinem voluit, quod in lib. 6. de sanit. tuend. docuit.
cap. 5. Quid? illi ne hęc in molienda sanguinis vacuationi obseruant? ALPIN. Paucissimi sunt, qui prius quam mittere sanguinem instituant, uelint differre uenæ sectionem uel scarificationem, quousq; stomachi, primarumque uenarum cruditates uel concoctæ, uel aliquo clystere uel medicamento eductæ sint. quinimò (quod posterius audies) à cibo multi sanguinem detrahunt, vt etiam nunc dictum est. GVILAND. Illos in istac sanguinis euacuatione minime rectè se gerere, sed potius multum in ipsa exercenda errare, cogito. Ea isti spe in omnibus ferè morbis ad missionem sanguinis confugiunt, ut quam primum ad eam ruant, vtentes illa tum copiosius, tum crebrius, tum inordinatius quàm deceret pro

morbo-

morborum curandorum ratione, atque etiam corporum temperamentorum, habituum, atq; ætatum vlla habita consideratione. ALPIN. Quo pacto existimas ipsos in huiusce præsidij vsu multum errare, quando pro certò habeant, non modo uerum non esse quinimo magis omnes, qui in mittendo sanguine non eo modo se gerunt, errorem cõmittere asserant. Si itaque vir doctissime quomodo hac in re errent demõstraueris, ego illorum partem defendendam, tum disputandi, tum aliquid ex te discendi causa recipiam. Mihi non minus vtile, quàm summe gratum erit ex te illorum errores, quos in vsu missionis sanguinis cõmittunt, nunc audire. GVILAND. Operam dabo, vt tibi hac in re omnino satisfaciam, & illos quantũ potero reprehendendo, ipsorum errores tibi manifestos ac planè notos reddam.

## *Aegyptios errare, nimium frequenti, & copiosæ sanguinis euacuationi indulgentes, & in pueris mittentes sanguinem. Cap. IIII.*

### GVILANDINVS.

MEDICOS Aegyptios multifariam in frequenti sanguinis largioris euacuatione, plurimum errare, atque à veris medicinæ fundamentis desciscere facile demonstrabitur. quando sæpe mittere sanguinem, atque copiosius non nisi eos iuuet, qui immoderata sanguinis copia grauati, magnum futurum morbum expectant. Alia vero corpora omnia, quæ neque immodica sanguinis copia redundant, neque ab eius plenitudine magni alicuius futuri morbi occasionem subeunt, non modo ea non iuuantur, quinimò valde læduntur, quoniam inde immodice natiuus calor dissoluitur, quo resoluto quis ignorat, omnes totius corporis functiones lædi. Quod apud Galenum in lib. de Cucurb. cap. 4.
,, & scarif. his profectò verbis legitur: Eodem namq; anno venam
,, frequenter incidere, minime quidem rationi consentaneum arbi-
,, tramur: quandoquidem cum larga sanguinis copia vitalis quoq;
,, spiritus emittitur, quo sanè absumpto, crebrius quidem moles
,, vniuersa frigescit, tum animales functiones omnes deteriores red-
duntur. Omnia verò illorum populorum corpora non ita multo

ſanguine abundare (etſi Aegyptij id arbitrantur) vt ſæpe in morboſam plenitudinem incidant, manifeſtum eſſe arbitror. Quod cum ſit, neceſſe eſt à crebra copioſaque ſanguinis miſſione illa offendi. Nec illi accolæ omnes temperamento apto ſanguinis euacuationi cernuntur. etſi multi, in quibus amplæ venæ cernuntur, quique ſunt modice graciles, neque candidi, neque tenera carne præditi, ibi exiſtant, quos copioſæ ſanguinis euacuationi cæteris aptiores eſſe Gal. in lib. de curan. rat. per ſang. miſſ. memoriæ prodidit. Quibus non ita damnanda ſanguinis miſſio videtur, tamen plurima corpora etiam ibi exiſtunt, ut tu nuper enarraſti, maxime craſſa, & pinguia, qualia omnium Eunucorum, exiſtunt. Præter eunuchos plurimos ibi, tum mares, tum fœminas reperiri habitu quam craſſiſſimo & pinguiſſimo aliàs dictum eſt. Sunt etiam nihilominus multa corpora gracillima, nigra, ſicca, & ſqualida pauciſſimi ſanguinis, quibus quãcumque ſanguinis miſſionem nocuam eſſe quiſque noſtrum affirmabit. Præterea illud accedit, quod in omnibus fere ijs corporibus, quorum temperamentum in multo ſanguine ſitum eſt, caro mollis, eſt, rariſſimæq; cutis, ob frequentiam dulcium balnearum, quibus ſæpiſſime eos uti diximus. Itaque non poſſum uſum mittendi ſanguinis apud illos, ita frequentatum planè laudare, ſi quidem, vt dixi, in cœlo calido, ſub quo degunt, multa ex illis corporibus, præſertim Eunuchorum, aliorumq; plurimorum, qui pinguiſſimo habitu, molli ac raro præditi ſunt, minime commode talem euacuationem ſubſtinere poſſe iudico; Quare non niſi in magnis morbis illi medici neceſſitate coacti, deberent ad ſanguinis miſſionem accedere, atque etiam ea in pauciori quantitate uti. Idemq; in gracillimis nigris, ſqualidioribus multis Ethiopum, Arabum, Ruſticorumq; corporibus faciendum cenſeo. ALPIN. In pleriſq; illorum corporum, quæ temperamento ſunt, uel pituitoſo vel melancholico exuſto, (quorum numerus Cayri extat non paruus,) aut habitu pingui, teneraq; carne, vel etiam arido & gracillimo, errare illos medicos, ita copioſe ſæpius ſanguinem mittentes, mihi planè obſcurum nõ eſt, quando hæc corpora ſanguinis miſſioni inepta ſint, at non modo hæc ea ſanguinis miſſione iuuari non poſſe cogito, ſed neque alia etiam, quæ multo ſanguine redundant. Huncq; mittendi ſanguinis uſum apud illos frequentatum, abuſum uoco. Sed quid tu cenſes de vſu mittendi ſanguinis vel in pueris, atque non minus

in

in infantibus apud omnes ita frequenti? Hanc etenim euacuationem, quamquam Arabes multi pręclarissimi medici non omnino abhorruerint, tamen à Galeno alijsq; in Græca schola medicis omnino prohibitum est, ne in pueris ante annum decimum quartum vllo pacto sanguis mittatur. GVILAND. Certissima, atque omnium non modo antiquorum Græcorum, sed nostrorum etiam recentium communissima sententia, in pueris ante illud tempus non esse sanguinem educendum, quocumq; etiam magno, atque acuto morbo correptis. Maiorem etenim noxam ab emisso in pueris sanguine esse, quàm sit utilitas, quæ eam euacuationem consequitur: eo quod corpora illorum substantificæ humiditatis, naturalisq; caloris resolutioni ualde sunt obnoxia, cum humidissima, mollissimaque carne constent. Quod in lib. 9 meth. med. Gal. his cap. 7.
» verbis scriptum reliquit, dicens: Puerorum ergo substantia om-
» nium facillime digeritur, ac dissipatur, propterea quod est omniũ
» humidissima: nulla vero frigidior. Quo minus uacuantis præsi-
» dij eget, cum habeat ex seipsa, vnde naturaliter euacuetur. Tanta itaque ab emisso sanguine in pueris pertimetur futura exolutio virium, vt quàm facillimo negocio à morbo ipsi vincantur. Quam ob causam Gal. sanguinis missionem ijs, in lib. de curandi rat.
» per sang. miss. interdixit, ita dicens: Hac ratione nec pueris venas cap. 13.
» tundes vsque ad decimum quartum ætatis annum, post quem si
» multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni vernum fue-
» rit, regioq; natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, san-
» guinem minues, multoq; magis, si aut peripneumoniæ, aut angi-
» næ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisque morbi periculum incumbat. Idem fere scripsit in li. 4. comm. de uict. rat. in morb. tex. cõ. 9.
» acut. ita inquiens: At certè pueri quamquam uitali facultate va-
» leant, tamen neque hi sanguinis sustinent missionem. Promptè
» enim eorum substantia, tum propter humiditatem, tum propter
» temperamenti caliditatem euaporatur. Atque in lib. 11. meth. med. præcepit in iuuene annum suæ ętatis decimum quartum nõ cap. 14.
excedente, etiam si synocho inuasus sit, non esse sanguinem mittendum. Quamobrem ex Galeno colligitur, eos medicos in pueris mittentes sanguinem satis aperte errare, à veraq; medendi ratione deflectere. ALPIN. Neque tamen ita statim eos accusatos hac de re vellem, quando neque Aegyptij carent rationibus ab experientia, atque ratione desumptis, quibus contraria defenditur il-

lorum ſententia. Gviland. Forſitam illorum aſſidua, quam cum ipſis habuiſti Cayri, conſuetudo, atque familiaritas, ita eos tibi in gratiam reduxit, vt ſummos ipſorum errores non videris, neque cognoueris. Sed te commoneo, & hortor, ne tantam medicorum turbam ita manifeſtos illorum errores deffendendo, in te concites, vereor enim ne male contra illos hunc errorem poſſis defendere. Siquidem ſi nobis cęterę deeſſent rationes, non ne ſat eſſet authoritatem tanti medici Galeni, quæ illis omnino aduerſatur, tibi ante oculos ponere, qui expreſsè miſſionem ſanguinem in pueris damnauerit? Alpin. Profecto magis adduci debeo, vt Galenum ſequar, quàm illius regionis medicos, quibus cum ſi, dum in ea regione morarer, familiarem conſuetudinem habui, nihilominus à Galeno artem medicam dedici. tamen non amicos in ſcientijs ſector, ſed ueritatem, cui ſemper adhæreo. At ſi potes me pauca dicentem audire, auſculta, quæ Terentius in Adelpho comœdia
,, his uerbis nos docuerit, dicens: Nunquam ita quiſquam bene
,, ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid
,, adportet noui, aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
,, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Ita nobis fortaſsè accidere potuerit, vt multa artis medicæ dogmata vera eſſe putauerimus, quæ mox falſa, atque ab artis ratione aliena agnita fuerint. Hoc auxilium in pueris totius Arabiæ, Ethiopiæ, Abiſſiæ, Aegyptiq; eſt familiariſſimum. Quod verum eſſe conſtat ex hominum illorum relatione. Qui vſus in ijs mittendi ſanguinis ſi error à noſtris iudicetur, errare proculdubio ſit affirmãdum totius Aegypti, Arabiæ, Abiſſiæ, Ethiopiæ, quibus hoc remedij genus eſt familiariſſimũ, omnes medicos. Ni enim ij aliquid vtilitatis ex illo pręſidio in pueris tanto tempore cognouiſſent, vel clarius, ſi ex ea ſanguinis in pueris adhibita miſſione damnum aliquod accidere longa & antiqua illa experientia ipſi didiciſſent, tot ſæculis, atq; luſtris in omnibus illarum regionum locis, vſque in hanc diem illam non frequentaſſent. Cayri dum eram, & poſtea Baſſani, poſtquam ex Aegypto in patriã me contuli, multos vidi, quibus meo iuſſu ſanguis miſſus fuerat, à quàmplurimis acutis morbis caratos. Tandem colligo, atque confirmo, in uniuerſa Aegypto medicos vti in pueris ſanguinis miſſione, idque non parua ſemper cum vtilitate. Gviland. Cuperem nunc te nuper dictorum eſſe memorem, quando nuperrime vtrique in id conuenimus, vt medicos illos

los valde culpandos censeremus, qui in isto mittendi sanguinis vsu ita facile ac frequenter labantur, non in pueris modo, in quibus omnis sanguinis missio, ob ipsorum humidissimam substantiam, atque habitum facile euaporabilem, magis detestabilis uidetur, sed in adultis etiam. Cur igitur nunc studes mihi suadere illorum antiqua etiam experientia in pueris, in quibus maior erroris, ac manifestior creditur esse occasio, non errare, si mittant sanguinem, cum eosdem in adultis nuperrime errare dixeris. Cessa igitur id amplius asserere, ne ita leui occasione tentes contra te tantam nostrorum medicorum turbam concitare, quam profecto recte nosti non modo non probare hoc auxilium in pueris, sed maxime abhorrere. Quando ad mittendum sanguinem etiam in iuuenibus sint difficillimi. Quamobrem longè melius consulo, vt de sanguinis in pueris missione, iuxta illiusce populi placita opinionem, & consilium, susceptumq; ea de re sermonem dimittas, atque ad alia narranda accedas. Siquidem ego misereor tui, qui tantos medicos facias inimicos tibi. ALPIN. Quinimo susceptum sermonem, ego prosequi cupio, quod non arbitror illos medicos tam grandem errorem, ut tu atque alij putant, committere, in aliquibus pueris acute ægrotantibus, si sanguinem aliquando demant. Quam in his missionem etsi Gal. non laudauerit, alijs etiam præclarissimis viris in arte medica, vt Rasi, Haly, Auenzoar, Auicennæ, Celso, secus persuasum est. GVILAND. Gaudeo te in hanc esse sententiam, quoniam, vt hoc mihi rectè persuadeas, spero te omnes in medium rationes laturum, quibus missionem sanguinis in pueris esse faciendam, Aegyptij statuerint, proinde illas ex te audire nunc desidero. Permagnum erit, quamplurimis Erasistrateis medicis illud te posse persuadere, mihi vero, qui cum Aegyptijs clam sentio, quam facile persuadebitur.

Aegy-

## *Aegyptios medicos non errare, si in pueris, qui morbis acutis corripiuntur, aliquando sanguinem mittant. Cap. V.*

### ALPINVS.

NEMO est, qui neget, medicum esse naturę imitatorem, atque ipsam ob id medendo semper quantum fieri potest sequi, atque imitari debere. Quod satis erit pro pręsenti re, in nostrorum corporum euacuationibus, atque purgationibus ostendere. Siquidem cum obseruassent medici naturam sępissime, nullo medico auxilio adhibito, multos homines febre uexatos, excernēdo humorem, à quo febris illa orta fuerat, per aluum, uel vomitu, uel per urinam, uel per sudorem, uel sanguinis eruptionem ex naribus, aut ab hæmorrhoidibus, aut ab utero, aut ex aluo factam, sanauisse, ideo & ipsi à naturę expulsionibus exinde perdocti arte vsi sunt, ad educendos humores, à quibus ortæ fuerunt febres. Alij uerè, sectis venis, aut cute scarificata cum obseruassent sæpius naturam, ea ratione ægrotos, uacuata multa copia sanguinis, in pristinam sanitatem restituisse, sanguinem & ipsi mittere tentarunt, atque etiam eadem copia, qua sępe obseruarunt sanguinem critice à natura excretum fuisse. Alijq; purgatorijs pharmacis aluum subducentibus humores, à quibus morbi originem duxerant, purgare, studuerunt. Atque alij medicamento, urinam mouente, vel sudorem, student corpora per urinam atque sudorem exiccare. Nonnulli etiam per insensibilem euacuationem, idem pręstant. Exemplum habetur apud Hippocratem
apho.17. ,, in lib.6.aphoris.in quo scripsit: Lippientem alui profluuio cor-
,, ripi bonum. & Gal. in comm. ait: Est autem & hoc apud ipsum
,, exemplum vnum eorum, quæ sponte & vtiliter euacuantur, quod
,, medicum imitari oportet, & proculdubio sic etiam omnes fa-
,, ciunt, in lippitudinibus aluum & clysteribus, & purgationibus subducentes, omnes verò euacuationes, quas natura critice, ut medici appellant, operatur, bonas esse in dubio non est reuocandū, hincq; non minus easdem arte medica paratas, idem facere. dicen-
aphor. 2. ,, dum est. Nam dicebat Hippoc. in 1. lib. apho. In perturbationi-
,, bus ventris, & uomitibus spontinis, si talia purgentur qualia pur-

gari

,, gari oportet: confert, & leuiter ferunt, ſin minus contra. Omnes enim excretione à natura non coacta factas optimas eſſe, ægrotisq; ſalutares, veriſſimũ eſt, eodemq; etiam modo arte factas, modo eas, quas natura recte operatur, hæ rectè, & ex arte imitentur. Quibus poſitis, quis quæſo neget, à natura factas criticas euacuationes & purgationes, eandem vim habere in ægrotis pueris, iuuenibus, adultis, ſenibus, mulieribus, virginibus, nuptis, viduis, atq; in qualibet regione, loco, anni tempore atque conſtitutione aeris. neque ob ætatis, temperamenti, ſexus, cœliq́ue diuerſitatem ab ipſis euacuationibus, purgationibusq; differentem eſſe vtilitatem dici poterit, quod ſi diceretur, à veritate eſſet alienum. Nam alui profluuium in omnibus cuiuſuis ætatis, temperamenti, ſexus, cœli, lippientibus bonum erit, quoniam in illis omnibus oculorum inflammationem ophtalmiam vocatam ſoluet illa purgatio. ita Hippocrate in 2. lib. prognoſt. docente, in omnibus acutis, periculoſisq; pulmonijs correptis, omnes abſceſſus in cruribus facti boni erunt iudicandi. Atque omnibus etiam acutis febribus afflictis omnes ſudores critici vtiles exiſtunt, qui omnes profectò, tum pueros, tum viros, tum ſenes, tum fœminas vbique rectè iudicant, atque ab his febribus liberant, quales ab Hippocrate (veluti apud ipſum legitur in libris epidemicis) in Cleoniſtide Methone, Muliere trimeſtri fœtu grauida, Melidia in Dealcisque horto decumbente, Cherione, Pericle, Virgine Abderæ, Anaxione, Muliere Moroſa, Virginesq; Lariſſæ fuere obſeruati. De ſanguinis vero euacuatione, vel eruptione in morbis, Hippoc. in 4. de vict. rat. in morb. acu. ait: Etſi ex naribus fluxerit ſanguis ſoluitur egritudo. Galenus etiam de Methone loquens dixit: Large de naribus eruptiones ſanguinis liberant ferè, ſanè enim videtur à ſola ſanguinis eruptione, & iudicatus, & ſeruatus, quamquam non omnino tuta ſigna haberet. & Hippoc. in 1. epidem. ſcripſit. Febribus autem ardentibus hec accidebant, quibus rite & largiter ſanguis per nares erupit, eadem cauſa maxime ſeruabantur. Nec vllum noui, ſi recte ei erupiſſet ſanguis in hoc ſtatu, quemquam mortuum. & in 6. etiã lib. aphoriſmorum: In inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ fit ſolutio. Eodem quoque modo vteri inflammatio ex ſanguinis è naribus eruptione liberatur. Quare omnes ſanguinis excretiones critice apparentes in omnibus, tum pueris, tum iuuenibus, tum viris, tum ſenibus, bonæ erunt

text. 10.

in 3. lib. epidem.

comm. 2. text.

iudi-

iudicandæ, ægrotisque salutares. Cur itaque aliquis contendat, has quoque arte confectas sanguinis euacuationes, quæ naturam idem rectè molientem imitantur, bonas non esse, ægrotisque tum pueris, tum iuuenibus, tum alijs omnibus alterius ætatis corporibus non conferre? Certè non video quo pacto veritati addictus aliquis negare queat. & si dicet, in pueris sanguinis eductiones nõ esse vtiles, quia maxime ipsorum vires resoluunt, respondebunt Aegyptij medici, neque igitur natura poterit vnquam pueros febre correptos, larga sanguinis per nares ab ipsa prestita euacuatione sanare. Quod falsum tamen est, cum infinitus prope sit puerorum numerus, quos larga sanguinis sponte facta eruptione sanatos quisque versatus senex medicus certò comperit, atque cognouit. Neque profecto mensis adhuc est, cum Bassani puellulam annum suæ etatis octauum non excedentem, filiam Bonazonte calceorum sutoris, maligna febre afflictam, sanguinis sponte facta larga eruptione, planè à febre liberam, atque iudicatam, obseruaui. Nos igitur, vt Aegyptij, sanguinis missione vel etiam in egrotis pueris vti debemus, cum natura ipsa nostrorum corporum affectus edocta, non timeat emisso in ijs sanguine, a virium resolutione, sed potius eos eo auxilio sanet. Nec putandum huic sententiæ solos illius regionis medicos esse addictos, sed alios quoque multos clarissimos, atque grauissimos, vt de Auenzoare legitur, qui cum suo filio primo venam secuisset, per eam multo educto sanguine, ipsum à morbi periculo vindicauit. Auicenna etiam posse medicos, vel in secundo anno affixis cucurbitalis, sanguinem vacuare, testatur. Et Haly Abas ait: quod si ad flebotomum puer pellitur, & virtus eius surrexit, ac possibile est passionis alicuius sanguineæ causa difficilis, qualis est suffocatio, phrenitis, pleuresis, & simile ijs, non tamen præter parentum minuas voluntatem. Sed quid? nonne alij etiam multi reperti sunt, qui mittere sanguinem in pueris, sumpta à magnitudine morborum occasione non ita abhorruerunt. Ac dum hæc scriberẽ, pro confirmanda, in pueris sanguinis euacuatione, mihi in memoriam venerunt, quæ aliàs Rasim in lib. de flebotomia, vt ijsdem interpretis verbis vtar, de ventosis & sanguisugis hęc memorię tradita legeram; quæ hęc sunt? Dico considerare debere in negocio infantium, quoniam forte uidemus in ijs infantibus esse febrem: deinde erit ex caliditate eius fluuius sanguinis de naribus fortis: quare si minutio esset nociua

In 1. lib. fen. 5. ca. 22.

lib. 9. c. 2.

eius,

,, eius,& diſſolutio de eis fieret competens, iam expelleretur huiuſ-
,, modi febris & natura. Hac itaque grauiſſimi medici ratione ductus,hoc idem à me videtur poſſe decerni, ſcilicet quia nos ſæpe vidimus in pueris naturam ſanguinem euacuare, eaq; euacuatione illos recte ſanare, non perdere, etſi multum ipſorum ſubſtantia diſſoluatur, ideo eodem modo in ijs arte facta ſanguinis miſſio non erit abhorrenda. Idem Raſis paulo poſt ex mente Coſtanti-
,, ni dixit: Quidam ſuſtinent minutionem, & quidam non ſuſti-
,, nent,quidam indigent ea vehementer, quidam pereunt per ean-
,, dem in ipſa ætate: Vnde non eſt conſiderandum in numero annorum, ſed in cute corporis & neceſsitate. GVILAND. Arbitror ex pręcipuis maximisq; auxilijs, ad ſanandos pueros a febribus putridis eſſe ſanguinis miſsionem,quod nobis facile ſuaſum eſt,quia nos ſæpiſsimè vidimus pueros larga ſanguis eruptione confertim à natura facta,à putridis febribus continuò iudicatos,ex indeque ſanatos. Hinc non immerito Cornelius Celſus in libro 2. de
,, ijs,quę indicant ſanguinis miſsionem ait: Intereſt enim non quę
,, ætas ſit,neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ uires ſint.
,, Ergo ſi iuueuis imbecillus eſt,aut ſi mulier, quæ grauida non eſt,
,, parum ualet, male ſanguis mittitur: e moritur enim uis, quæ his
,, ſupererat, & hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus
,, ſenex, & grauida mulier valens tuto curatur. At quid miremur, eos populos nunc in pueris ægrotantibus ſanguinis miſsionem frequentare, cum Amatus quoque Luſitanus medicus Hebræus, non ſpernendus,in quamplurimis puerulis hac ſanguinis miſſione fœlici cum ſucceſſu ſemper vſus fuerit. In prima enim ſuarum centuriarum ait, puellam annos ſeptem natam, à febre liberaſſe ſanguine ex ſecta dextri cubiti vena interna, ad ſex vſque vncias educto. Ibiq; hanc miſſionem ſanguinis ex Arabum medicorum mente contra Græcos in pueris faciendam conſulit. Amplius in ſecunda Centuria, itidem à febre continua puerulum octo annorum miſſo ſanguine per uenam ſectam ſanitati reſtitutum narrat: & in quarta, alium puerum eodem morbo vexatum, eodem auxilio ſanatum meminit, atque in quinta,quinque annorum pleuriticum puerulum; Atque in ſeptima puellam maligna febre correptam ſanitati miſſione ſanguinis reſtituitam fuiſſe, teſtatur. de
,, qua ipſe ita ſcripſit: Puella pulchra, & filia formoſæ à Saqua na-
,, ta annos octo biduo continuo febricbat, & caput dolebat, huic

Curat.10

Curat.96

Curat.62.

Curat.49.

ſecta

,, secta communi in brachio vena, sanguis, ad vncias quatuor, fuit
,, extractus, tunc exanthemata veluti culicum morsus erupere, sed
,, postea perextensa vniuersam ferè cutem occuparunt, & per nares
,, illi multus sanguis fluebat, & fluxus ventris quoque illi superue-
,, nit, sed rectè gubernata, & per interualla cochleari ebibito syru-
,, po violaceo recenti, libera & immunis euasit. In scholijs vero hęc
,, quoque auditu digna memoriæ, ab eo prodita leguntur: Aduer-
,, tant, qui Galeni præceptis adstricti ante quartum decimum annũ
,, sanguinem per uenę sectionem extrahere timent, quum ex se natu
,, ra in hac puella sanguinem copiosum per nares deposuerit, vt sæ-
,, pe aliàs in alijs pueris obseruatum est. Quam sanè sanguinis euacuationem Hispani omnes in pueris frequentant, præsertimque vt Aegyptij faciunt, cruribus scarificatis. Neque desunt alij multi præclarissimi medici nostrorum temporum in pueris etiam laudantes missionem sanguinis, inter quos est doctissimus Fernelius, qui Galenum, cum pueros ineptos sanguinis missioni dixerit, intellexisse de pleniori, siue copiosiori eductione, qua usque ferè ad deliquium antiqui uteb antur, affirmauit. ALPIN. Sed quæ nam illorum sunt rationes, qui negant, in ijs hanc sanguinis missionem esse faciendam, quibus rationibus non decere in pueris euacuari sanguinem affirment; & quid illis responderi potest. GVILAND. Negant eam pueris conferre posse euacuationem, quoniam ipsi sponte nimis exoluuntur, cum corpora humidissima, mollissima apertissimaq; obtineant, admodumq; propensa vaporationibus quæ quamcitò, detracto sanguine, vel, supra addita alia euacuatione deficiũt, quãdo ipsi corpora habeant, quę continue euacuantur. quibus euacuatione sanguinis etiam addita vires valde collabuntur, quibus diminutis non poterunt puerorum corpora morbum superare. Quam ob causam Galenũ ijs missionem sanguinis prohibuisse affirmant. Quæ res non videtur omnino veritati consentire, quoniam, etsi corpora puerorum habeant substantiam humidissimam, mollissimam, apertissimamq;, qua continue multum per insensibilem euaporationem diffluntur, ac euacuantur, nihilominus possunt etiam aliam sanguinis moderatam euacuationem perferre, absque detrimento. Puerorum siquidem ætas multo substantifico humido abundat, naturaliq; calore ferocissimo; atque hinc non minus viribus multis, ac validioribus puerilis ætas est referta. Namq; quia plurimum habent, vt Hippoc. in aphorismis

ait

ait;caloris innati,egent plurimo alimento,eaq; causa omnes pueri sunt uoracissimi,plurimumq; comedunt:quo fit, vt semper plurimum sanguinem coaceruent,eoq; abundare puerilem ętatem Gal. docuit in breui denotatione dogmatum Hippocratis. atque hinc est, quod in pueris sępissime sanguis multus per nares profluere obseruatur. etsi copia caloris etiam ad idem concurrat; cuius euacuationem ferunt citra aliquam noxam,tum ob eius copiam, qua ipsi abundant, tum ob vires, quibus sunt prediti. Pręterea quis ignorat,inter omnia, quę missionem sanguinis indicant, virium robur pręcipuam habere partem in admittendo illo auxilio, quandoquidem corporibus,quę viribus planè careant, nullus, ni ipsa interimere velit, audebit elicere sanguinem,datis etiam duobus corporibus eiusdem ętatis,temperamenti,eodem morbo correptis,si alteri tamen languidiores extent,iure nulli dubium quin in robustiori satis audacter sanguinem euacuabimus, in altero uero parum,& non absque aliquo timore. Quamobrem cum pueri habeant corpora validioribus viribus munita, multoq; sanguine referta,cur aliquo acuto morbo illis infestis sanguinem in moderata copia non mittemus? quoniam etsi vacuantur continue per insensibilem euaporationem,tamen moderatam quoque ferre poterunt euacuationem, quod nobis certo suadere debet, pueros obseruari sæpissime ac familiarissime per nares multo sanguine profluxo, absque noxia uacuatos. Pueritiæ profluuium sanguinis per nares est familiarissimum, quod cessat ubi adultiorem attigerunt ætatem. Quid? an non in pueris etiam lactentibus acuto aliquo morbo correptis obseruatur,eos aliquando inediā multis diebus sine noxa perferre, & mox quasi mortuos reuiuiscere? quod illis contingit,quia pręterquam quod viribus constant robustioribus, etiam plurimum pituitosi humoris inconcocti habent, quo calor in optimum sanguinem mutato, facile nutritur, atque fouetur. & proinde quamquam mittatur in ijs modicus sanguis, non fit tanta virium iactura. Multa sunt præterea quę non ita valde dissolui puerorum corpora denotant, in primisque multos illorum febricitantes, eodem tempore posse sanguinis copiosam fluxum, sudores, aluique copiosas deiectiones sępe absque vllo ipsorum detrimento etiam perferre, atque potius ab ijs sanari, non admodum extenuati vel graciles facti. quinimò si recte,tum puerorum,tum aliarum ętatum cadauera in-

ſpiciantur, proculdubio puerorum ſemper, ſi tum morbi ſpecies, tum tempora, quibus ægrotarunt inter ſe comparentur, minus diſſoluta, atque attenuata alijs inſpicientur, quod vtique haud tantæ ipſorum corporum reſolutionis argumentum etiam eſſe poteſt. Quamobrem probe ſatis facere medicos illos, dicendum eſt, qui miſſione ſanguinis vel in pueris vtuntur, neque vt mittant ſanguinem, quartus decimus expectandus eſt peractus annus. Ridiculum ſanè videtur, annorum numero miſſionem ſanguinis prefiniri
,, oportere, quando ipſe quoque Gal. dixerit: Itaq; non numero ſo-
,, lummodo animum aduertes, quod quidam faciunt, ſed corporis
,, habitui, nam ſunt, qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem nõ
,, ferant, cum quidam, qui ſeptuaginta nati ſunt annos, perferant.
minusq; ętates certis annorum numeris poſſint à medicis deffiniri.
cap. 28. Galenus idem in lib. de ſectis dixit, non mittendum eſſe ſanguinẽ in puero admodum paruo. Atque hęc obiter de ſanguinis miſſione in pueris à me dicta ſint. ALPIN. Admodum hoc tuo doctiſſimo ſermone ſum delectatus, pręſertim cum ex te multa didicerim, quæ in pueris faciendam eſſe vacuationem ſanguinis demonſtrant. Aegyptij itaque in pueris hanc euacuationem non ſecus, quàm in aliarum ætatum hominibus frequentant, tum per venę, arterięq; ſectionem, tum etiam per ſcarificationem malleolorum, crurumve, atque aurium. Magis vero per ſcarificationem quam per venæ ſectionem in ipſis conſueuerunt id agere. Eodem quoque modo non minus ſanguinis euacuatione in ſenibus utuntur, in ijs tamen, qui nõ ad ultimum ſenium producti ſint, ſed optimi temperamenti & habitus, quique ſatis validis viribus conſtent. GVILAND. Cum hactenus dixeris miſſionem, uel euacuationem ſanguinis illorum locorum, medicos in omnibus ijs corporibus exercere, non minusq; in Eunuchis, mulieribus, pueris, ſenibus, & pinguioribus hominibus, quibus ſatis Aegyptus abundat, Cupio etiam ex te audire, an per uenę, vel arterię ſectionem, uel per ſcarificationem alicuius partis corporis, vel per hyrudines, vel cucurbitulas, talem vacuationem familiarius pręſtant, quãdo his tantum vijs quælibet ſanguinis miſſio peragatur. Hęcq; nunc ex te audire expecto.

## *In pinguioribus corporibus, Eunuchis, Mulieribus, pueris, senibusq; quomodo Aegyptij sanguinem mittant. Cap. VI.*

### GVILANDINVS.

CVM corpora pinguia, mollia, alba, atque valde humida ibi in omnibus ferè mulieribus, vel saltem in plerisque obseruentur, quibus sanguinis missionem non omnino conuenire his verbis Gal. in lib. de curat. per sang. miss. docuit; di- cap. 13.
,, cens: Deinde considerandum, quæ sit naturalis hominis tempe-
,, ries. Nam quibus amplę sunt venę, quiq; modice graciles sunt,
,, nec candidi, neque tenera carne pręditi, copiosius euacuabis: con-
,, trarios autem parcius: quippe qui exiguum habent sanguinis, cap. 14.
,, carnemq; facile transpirabilem. Sicq; in lib. 11. methodi, loqui-
,, tur: Quod si corpus decimum quartum annum excesserit, existi-
,, mandum est, qualis nam eius natura sit, nũ gracilis & spissa, & du-
,, ra; & copiosi sanguinis, an contra: atque ita in priori missionem
,, sanguinis adhibebis: in secunda nequaquam. Quinetiam mo-
,, dus vacuandi sanguinis ex ijsdem indicantibus sumetur. Si enim
,, cui sanguis mittitur triginta annos natus sit, sed laxus, & mollis, &
,, pinguis, & albus, & gracilibus venis, huic planè sanguinem non mittes, aut parum detrahes. Hæc cum in multis hominibus, pueris, Eunuchis, senibusq; spectentur, Aegyptios non parum in vsitanda sanguinis euacuatione errare dicemus. Namq; crebra ac copiosa sanguinis eductio, quæ apud eos omnes est, etiam ex leuissima causa familiaris, ijs omnibus valde incommoda ac noxia erit, quando quælibet nuper dictorum corporum, ex paucissima etiam euacuatione multum resoluantur, atque ipsorum moles vniuersa inde non parum perfrigescat. Sed quoniam nostrorum medicorum quamplurimi existimant, cucurbitulis præstitam sanguinis euacuationem in his corporibus minorem facere spirituũ resolutionem vel consumptionem, ideò per has potius, quam per sectam venam ipsis sanguinem mitti suadent, cum per sectam venam sangnis euacuatus multum caloris naturalis absumat, ut Gal. in lib. de cucurb. hirudinib. scriptũ reliquit, itaq; nunc quonam illorum modorum mittendi sanguinem illi populi vtantur, narres

velim, num per uenarum, arteriarumq; sectionem, an potius per cucurbitulas, vel simplicem scarificationem, vel hirudines appositas venis. ALPIN. In omnibus ijs nuper dictis corporibus, scilicet pinguioribus, albidioribus, mollissima ac tenerissima carne præditis, habituque raro, qualia plurimorum, tum virorum, tum mulierum, senum, omniumq; Eunuchorum, (quorum ibi adest haud paruus numerus,) ac puerorum multa cernuntur, quamquã etiam sectis venis sæpe ab his sanguinem euacuent, nihilominus familiarius cruribus antiquorum more scarificatis mittere sanguinem consueuerunt, omnium maxime in valde pueris, scilicet infantibus, quibus ibi detrahunt etiam sanguinem cruribus, vel auribus scarificatis, ne peracto quidem primo anno. Prouisionis quidem causa in prima æstatis parte æstuosa, inæquali, in qua multi pessimi morbi, vel etiam puerulos ac infantes inuadunt, in pluribus eorum scarificatis auribus mittunt sanguinem, itaque vix inter centenos, tercenos aliquando reperies, quibus aures scarificatæ non sint. Quamobrem in infantibus, atque pueris omnibus sanguinem scarificatis auribus, atque cruribus mittunt. In Eunuchis verò, & mulieribus pingui, raroque habitu præditis, atq. demum in cæteris hominibus, eodem ferme habitu, tum molli, tum raro refertis, per scarificationem moliuntur sanguinis euacuationem. GVILAND. Rectè sane illi in istis corporibus per cutis scarificationem sanguinem vacuantes, se gerunt, quando hæc corpora facile transpirabilia, ex sanguinis euacuatione per sectas venas confecta valde resoluantur. Quod ex Galeno didicimus, qui de scarificatione ita scripsit: Eodem namq; anno venam frequenter incidere, minime quidem rationi consentaneum arbitramur: quandoquidem cum larga sanguinis copia vitalis quoque spiritus emittitur: Quo sane absumpto, crebrius quidem moles vniuersa frigescit, tum animales functiones omnes deteriores redduntur. Quamobrem ab ignobilioribus membris, vtpotè cruribus, educendus est, scilicet scarificatione. Sed talem vsum mittendi sanguinem per scarificationem optimum esse, atque artis ratione comprobatum, in lib. de curat. per sang. miss. docuit his verbis: Porrò quæ ex mulieribus albidiores sunt, sanguinem aceruare tenuem solent: quocirca adhibitis malleolorum scarificationibus maxime iuuantur. At quæ nigriores sunt, secta vena curato: crassiorem enim sanguinem, ac magis melancholicum colligunt, magis

cap. 4.

cap. 11.

,, gis vero etiam si magnas habere venas appareant, quod illis acci-
,, dit, quæ graciliores sunt, ac nigriores: Carnosis verò & candidis
,, paruæ insunt venæ, quibus malleolus scarificare, quam venam se-
,, care præstiterit, quippe cum hæ paruas in cruribus venas habeant:
,, itaque etiam si probè secentur, quod iustum tamen sit, non pro-
fluat. Commodior hęc per scarificatos malleolos sanguinis eua-
cuatio in ijs corporibus est, vtiliorq; non immerito iudicanda, cō-
modior inquam, quoniam corpora pinguia, candida, mollia, exi-
les paruasq; venas, & sanguinem tenuiorem habent, quarum ali-
quæ rectè etiam sectæ, iustam sanguinis copiam non dabunt:
faciliorq; sanguinis hęc quantitas scarificata cute crurum siue fu-
rarum, multis, neq; minimis referta venis. Vtilior, quod ex ea scari-
ficatione celebrata sanguinis missione, non tanta spirituum copia
resoluitur. Sed quid? isti hac scarificatione non ne cucurbitulis af-
fixis sanguinem extrahunt? vel non appositis, venis aliquibus, ut
nostri faciunt, hirudinibus sanguinem mittunt? ALPIN. Neque
vsum cucurbitularum pro sanguinis euacuatione facienda, neque
per hirudines euacuationem nobis cognitam, illi norunt. Missio-
nem sanguinis per cucurbitulas, ad tollendam plenitudinē, maxi-
me damnant, neq; ijs vnquam sanguinem euacuationis causa mit-
tunt, sed tantum reuulsionis vel diuersionis gratia, priori loco per
sectam venam euacuata copia sanguinis. veluti in ophtalmijs oc-
cipiti affixis cucurbitulis vti solent. Neque dorso, neque
lumbis, neq; cruribus eas vnquam affigunt. Collo
tantum, occipiti, ac eius proximis partibus
cucurbitulas apponere consueuerunt. Hi-
rundinum vsum prorsus ignorant,
dicunt enim veneficam eas ha
bere naturam, illarumq;
morsum non mi-
nus noxium
experi-
ri.

## *An Aegyptij Medici rectè se gerant in vsu missionis sanguinis in dysenteria, diarrhœa biliosa, exantematibus, puncticulis appellatis, pestiferisq; bubonibus, & paroditibus.*

## *Cap. VII.*

### ALPINVS.

DIXI illos medicos, cruribus scarificatis exercere missionem sanguinis in omnibus pinguioribus, albidioribusq; corporibus, Eunuchis, mulieribus, puerulis, in quibus recte illos ex Galeni sententia facere dices, sed in dysenteria, biliosa diarrhęa, exantematibusque à nostris peticulis, uel punctículis vocatis, inq; pestiferis tumoribus eos sanguinem mittentes, nescio an laudabis, quando multi medici etiam doctissimi exclament in ijs ferè omnibus morbis summoperè noxiam, ac exitiosam ferè esse illiusce humoris euacuationem. Neque fortassè citra rationem ipsis id persuasum est, quando tum vires admodum ab ea vacuatione collabantur, tum etiam ea plures optimi medici in ijs, vsi non fuerint. GVILAND. Cupio audire ex te rationes, quibus illis persuasum sit, in illis affectibus inutilem esse sanguinis missionem. Quibus auditis, meam quoque sententiam in medium postea proferam. ALPIN. Sigillatim tamen de quolibet affectu hę dicendę sunt. In primisq; recensebo, quę in dysenteria à sanguinis missione arceant, & mox de alijs loquar. Sed quæ illi pro ipsorum sententia dicunt, hęc sane sunt. In primis Galeni auctoritate se muniunt, cui omnes medicos addictos esse debere affirmant, atque quod ipse dum de dysenteria loqueretur, missionis sanguinis nusquam meminisse legerint, affirmãt iccirco errare oẽs pro illo affectu mittentes sanguinem: Multoq; magis, qui obseruauerint, tantum medicum manifestissime in his sanguinis euacuationem damnasse. ut in lib. 4. de vict. rat. in morb. acut. legi-
com. 118. ,, tur, his profecto uerbis: Fluente aluo sanguinem non detrahes.
,, Nam si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternit.
Cuius sententiam constat repetitam fuisse in libro 1. ad Glauc.
,, quando scripsit: Sed neq; si fuerit febris cum alui profluuio, alia

est

,, est opus euacuatione. Quicunque his plus adimere fore neces-
,, sarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt. An in dysenteria, ac diarrhęa sanguis sit mittendus, vtique his uerbis explicauit? Quid dubij igitur est amplius, quin ex eius sententia in eo affectu sanguinis aliqua euacuatio non sit facienda. Quod remedium cum tantus medicus dysentericis, atque diarrhæę correptis interdixerit, cur quisque nostrum tanto à pręceptore perdoctus, idem faciendum nō suadebit. Quā sententiam multi confirmant dicentes, in dysenteria admodum vires resolui, quando tum sanguinis crebra fiat deiectio, interdumq; etiam copiosa, & dolores uehementes ferè assidui, quos etiam vigiliæ sequi solent immodicę; quę omnia multum vires labefactare, ac resoluere omnibus est plane cognitum. Quapropter si in ijs medici sanguinis euacuatione vtantur, procul dubio erunt in causa, vt in maiores virium lapsus, ac resolutiones incidant ægroti, quibus collapsis natura necessariò morbo succumbet. Itaq; hac ratione confirmari posse Galeni sententiam statuunt. Cui libenter ego me etiam subscriberem, cum dysenteria (dico illum affectum, in quo vlcerata intestina apparent) fiat ex cachochymia, siue ex malis humoribus, qui non euacuatione, quo auxilio plethora curatur, sed purgatione, tollun tur. Intestina etenim abraduntur, & exulcerantur vel à biliosis acrioribus succis, vel à salsa pituita, quę sanè non sanguinis uacuatione tolluntur, sed vt nunc dixi, purgatione. Maximè itaque hic errare medici Aegyptij dicendi sunt, vtentes sanguinis missione vel etiam in dysenteria. GVILAND. Erras (mea quidem sententia, si id credis, quando in ijs affectibus sanguinem euacuare ab artis vera methodo alienum esse, non iudicauerim. quinimo in ea re illi multa sunt laude digni, atque Hippocratice dysentericis mederi mihi videntur. Namque sanguinis in ijs euacuatio dolorem vehementem, quo dysenterici cruciantur, mitigare potest, vt ex Galeno colligitur, qui nullum maius remedium in maximis doloribus euacuatione, atque purgatione se inuenisse scriptum reliquit. Non minusq; intestinorum partium vlceratarum inflammationem, atque febrem imminuit, fluxumq; humoris ab intestinis reuellit, somnumq; inducit. itaque in dysenteria, viribus, ætate ac alijs consentientibus, circa initia reuulsionis gratia, præsertim ubi magna affuerit humorum copia, aut sanguinis impetus valde

vrgeat, vel maxima inflammatio, aut dolor vehemens obsertetur, vel iecur malè affectum sit, à quo acres succi ad intestina cõfluant, adprime vtilem sanguinis euacuationem esse existimo. Atque illi qui exordiuntur à sanguinis missione curationem, eandem rationem sequi videntur, quam medici omnes febres putridas curantes, ab ablatione causarum curationẽ incipientes, quis enim ignorat, tria in ijs curationem indicare, scilicet morbum, causam, atque symptoma, ut in 9. meth. med. Gal. docuit. veramq; ac optimam curationem illam esse, quæ à causa exorditur. nunquam enim morbus tolletur, non ablata prius eius causa. Dysenteria uero ex Galeno in 4. lib. aphorism. & in 3. de sympt. caus. atque in 6. de loc. affect alibiq; in sexcentis alijs locis, vlcus est intestinorum ex flaua bile, vel atra, Galeno in 4. lib. aphorism. docente, aut à salsa pituita, vt in 3. lib. aphoris. apud ipsum legitur, abradentibus, ortum. Quo pacto igitur quis dysenteriam, quæ est vlcus intestinorum, rectè vnquam curabit, nisi causam prius, a qua ortum ducit, adimere studebit. Causa uero, vt dictum est, cum sit biliosus sanguis acris, & mordax ab vniuerso corpore vel à iecore ad intestina demãdatus, is procul dubio euacuatione tollitur, nam per sanguinis euacuationem non ne huius redundantis, humoris copia diminuitur? quæ diminuta vel nihil, vel minus ad intestina confluit. Amplius cum biliosus ille sanguis ex calore multo iecoris gignatur, eiusq; multa copia subministretur, quis est, qui ex missione sanguinis iecore refrigerato, minus illius humoris gigni posse, ignoret? Medici enim omnes, calidorum humorum redundantiam factã, sanguinis missione prohibere student. Demum cui obscurum, atque ignotum est, eorum humorum acrimoniam, qua intestina mordentur, atque abraduntur, immodico iecoris calore fieri? intensus etenim ac immodicus calor eiusce membri, sanguinem efficit calidiorem, ac acutiorem, quis inquam ille erit ita artis medicæ ignarus, qui nesciat, iecore præ multo calore gignente sanguinem biliosum, acremque, eo euacuatione sanguinis refrigerato, minus acutum atque acrem producturum esse sanguinem? Cum igitur sanguinis missio copiam biliosi sanguinis diminuat, eiusque acrimoniam obtundat, talemque sanguinis cursum ab intestinis auertat, id nihil aliud erit, quàm causam, qua ulcera fiunt in intestinis, planè adimere, qua sublata facile facta vlcera sanabuntur. Quæso quis ille est (sanguisugarijs enim vsque est manifestissimum) cui homo

aph. 24.

aph. 12.

aliquis

aliquis ob ulcus in quacumque extrinseca corporis parte, ex bilioso humore confluente ortum, sanandus occurrerit, qui vt illum hominem rectè curet, priusquam medicamentis exsiccantibus vtatur, non in id incumbat, ut corpus prius, tum euacuetur per sanguinis missionem, tum aliquo medicamento purgetur? sanguinis enim euacuationes prohibent, quin minus illiusce calidi humoris amplius gignatur, purgationes vero genitam eiusce humoris copiam diminuunt. hæc enim magnorum vlcerum, localibus remedijs non cedentium rationalis, ac uera curatio existit, quam cur nõ eandem fieri oportere in ijsdem vlceribus internam quampiam partem occupantibus, præsertimq́, intestina, omnes uelint aut nolint fatere cogentur? si dicerent hanc euacuationem, quamquam ipsa opportuna sit, non conducere dysentericis, quia est in causa, ut uires multum resoluantur, atque collabantur, qua postea imbecillitate non possent alui profluuium firmare, respondebitur naturam non ita pati ex modica sanguinis euacuatione, vt ea ualde viribus destituatur, ad morbum peruincendum, quod si æque à missione sanguinis in omnibus læsis vlceratisq́; partibus corporis natura debilitari existimanda sit, cur intestinis læsis tantum patietur, si mittetur sanguis? ex alijs vero corporis partibus nequaquam? si dicent, quia vlcerata intestina ex sanguinis euacuatione diminutis viribus, minus poterũt firmari & sisti, & ita profluuium ægrotos perdet, nos dicemus, si non mittatur sanguis, atque eo modo statim in principio diuertatur fluxus ab intestinis, multo sanè maiorem sanguinis copiam per aluum, perseuerante illo affectu, emanaturam, quę longè plus, quàm arte facta, vires resoluet. Optimum itaque esse remedium dysentericis, modicam sanguinis euacuationem existimo. Cuius sententię fuere Alexander Trallianus, Aetius, atque alij multi grauissimi medici. ex recentioribus verò Donatus Antonius ab Altomari paucis his verbis optimum esse auxilium missionem sanguinis in veris dysentericis scri-
,, ptum reliquit, dicens: At si male admodum affecto iecinore flauę
,, bili admixtus sanguis ab eo ad intestina deferatur, ita, vt strigmen
,, ta quoque intestinorum deijciantur, summa intestinorum tunica
,, humoris acrimonia derasa, quisnam verebitur internam in dextro
,, cubito venam secare? ne dum reuulsionis gratia, verum etiam ip-
,, siusmet iecinoris alterationis. Cur plerique medici in hoc casu,
,, qui solam intestinorum exulcerationem, neglecto iocinore curare

con-

,, consueuerunt, in causa sunt, vt ægri moriantur ex Galeni sententia
,, lib. 4. de articulis com. 4. Rursus ubi uehementissimus infestauerit
,, dolor propter rodentium humorum acrimoniam, ad intestina à
,, toto, seu ab aliqua corporis parte confluentium, & propterea ue-
,, renda sit phlegmonis generatio, aut virium defectus, cui absonum
,, videbitur venam secari debere? Cum & idem Gal. in maximis do
,, loribus nullum maius inuenerit remedium, quam vsq; ad deliquiũ
,, animi sanguinem mittere, aut purgare, vt patet aphor. 23. lib. 1.
,, Quamquam venam secandam dicimus, vbi cuncta ea admiserint,
,, nec vsq; ad animi deliquium, sed paulatim, ac sensim, ne vires im-
,, becilliores reddant, ipsam probamus prout Aetius & Alexander
probarunt. Atq; hæc Altimarus medicus sua tempestate clarissimus, qui omnibus dysentericis feliciori semper eventu sanguinem secta vena mittebat. cuius rei excellens Ascanius Caracciolus à dysenteria sola sanguinis missione absq; alijs auxilijs sanatus, atq; alter filiorum Ioan. Ferdinandi Rocchi dysentericus eo auxilio seruatus, testes fuere. Cum eodem etiam tempore eodem morbo alter frater correptus, cui sanguis non fuerat missus, mortem obierit. Amatus Lusitanus medicus non spernendus Chiam mulierem dysentericam misso sanguine, atq; alios multos curauit, ut in eius centurijs memoriæ traditum est. Multi alij medici doctissimi usi sunt hoc auxilio in curandis dysentericis, quos omnes hic recensere nimis molestum foret. ALPIN. Conspicuam hanc veritatem mihi nunc planè ita reddidisti, ut deinceps maxime mihi cõstitutum sit, missionem sanguinis pro curanda dysenteria opportunissimum fore auxilium, atq; absq; eo maxima cum difficultate homines à dysenteria sanari posse. At optimum etiam erit, vt aduersariorum nuper allatis rationibus, quibus hoc auxilium in hoc affectu damnant, nunc etiam satisfacias. GVILAND. Ad ea, quæ apud Galenum scripta leguntur, præsertimq; in lib. 1. ad Glauc. quæ illorum opinioni magis fauere creduntur, respondendum est, ibi Gal locutũ fuisse de alui profluuio, qui febris symptoma existit, febremq; sequitur, vt accidens, quòd eius morem significare videtur. Nos vero cũ de dysenteria loquimur, prout morbus est, cui sit febris coniuncta, eius est symptoma. itaq; verba Galeni nihil nobis obsunt, dum loquimur de dysenteria, quæ morbus est a febre distinctus.
tex. com. 116. Quòd si alibi, vt dictum est, in 4. lib. de vict. rat. in morb. acut. dixit,
,, Fluente aluo sanguinem non detrahes. Nã si fluor post detractio-

nem

,, nem perſeueret, vires proſternit, ego, vt recte hanc rem intelligam, ita rurſus diſtinguo, alui profluuium fieri læſis inteſtinis primario affectu, aut ſtomacho. vel illis communicata læſione ab uniuerſo corpore, aut ab aliqua parte, præſertimq; à iocinore, quo ſane modo pleræq; diarrheæ bilioſæ, & dyſenteriæ gigni ſolent. Vbi igitur profluuium fit læſis inteſtinis, vel uentriculo, primario affectu, tunc ſanguinis miſſio, atq; purgatio videtur damnanda, quãdo quidem ex illa euacuatione partes illæ pauco calore natiuo refertæ plus alijs debilitentur, & idcirco hoc auxilij genere non iuuantur, ſed potius læduntur. Orta uero fluxione bilioſa, quæ abraſerit inteſtina, idq; uel uniuerſi corporis, vel epatis uitio, quo uiſcere leſo pleræq; fieri ſolent, proculdubio ſanguinis euacuatio vtilis erit, quę non inteſtina labefactauit, etenim ab ipſis diuertendo bilioſum ſanguinem inteſtina ulcerantem, ipſis potius nõ parum roboris adijciet. Hinc uero fit, ut omnes ulcera tantummodo inteſtinorum curantes, & non hepar, tanquam cauſam, ex qua id mali creatur inteſtinis, peſſime curant, ut dicebat Gal. in lib. 4. de artic. his uerbis: com. 40.

,, Interdum enim quũ propter deiectiones acres, principio quidem
,, pinguedo, proceſſu temporis quędam ſtrigmenta, quę ab inteſti-
,, nis deradantur, vnà excernantur, pleriq; medici neglecto iocinore,
,, ulceri duntaxat inteſtinorum medentur, atq; idcirco ægrotantes
,, præcipitant; hoc igitur modo reſponium fit ad eorum adductas rationes. Supereſt ut Aegyptios in bilioſis dyſenterijs, atque diarrhæis, quę non inteſtinorum, ſed uel totius corporis, uel hepatis uitio obortæ ſunt, ſanguinem mittentes laudemus. ALPIN. Idem faciunt in omnibus peſtilentibus morbis, maximeq. in omnibus exanthematibus, non minusq; periculis uocatis, atq. parotidibus, carbunculis, atq. bubonibus. In ijs enim in principio, uiribus conſiſtentibus, largè ſanguinem mittere ſolent; in omnibusq. corporibus cuiuſuis ætatis, uel temperamenti. Multis uero, puerisq. maxìme ſcarificatis cruribus, atque multis ſecta uena ſanguinem euacuant, & hęc de miſſione ſanguinis à me dicta ſint. Quibus ita cognitis, antequam mihi è memoria effluat, aliud tibi narrare cupio, id uero eſt, illorum multos à cibo mittere ſanguinem. Quod fortaſsè tibi doctiſſimo medico, non parum rationi aduerſari uidebitur, hoc unum ſcio multos uſum hunc in mittendo ſanguine ſectari; ſed an optimus ſit is uſus, & à nobis recipiendus, ex te libenter audirem.

Aegy-

## *Aegyptios medicos à cibo ſanguinem mittere, atque an rectè faciant etiam, illis, quibus ſanguinem mittere debent, potum aliquem propinare. Cap. VIII.*

### ALPINVS.

VLGVS Aegyptiorum medicorum à cibo conſueſcere mittere ſanguinem nuper dictum eſt. Nuncque idem confirmo. Sæpiſsime etenim, qui ieiuno ſtomacho fieri miſsionem ſanguinis alicui ægroto preceperim, ab Aegyptijs accuſabar, me corpora ægrota alimento vacua tunc euacuare velle, atque ipſorum tum uires, tum functiones labefactare. Sæpius rogabam, ut mihi clarius hanc rem explicarent, vel docerent. qui in ipſorum ſententiam ducere conabantur, dicebant, omnibus optimis medicis notum eſſe, ſanguinis euacuatione corpora valde labefactari, facta plurima innati caloris ab emiſſo ſanguine reſolutione. Ideo ſi id fiat ante cibum ieiuno ſtomacho pertimeſcendam fore abſque dubio a multa virium reſolutione. Addunt non minus corporum amaram bilem ab euacuato ſanguine fieri acutiorem, multosq; in ſyncopim ſtomachi iam vocatam inducere. GVILAND. Sed quæſo, non tu rationibus illos falſos eſſe demonſtrabas, an potius ab illis gratiam inire cupiebas, ipſos verè aut fictè laudando magis, ut cum ijs lites detrectares? ALPIN. Non ego vnquam fui tam viliori animo, vt eos mihi contradicentes pertimuerim, quinimo magis ſæpe medicas difficultates coram nonnullis Turcis dominis perſequi ſtudebam, vt illi cognoſcerẽt quanti plus Aegyptijs noſtri ſaperent medici. Negabamq; illis ab omni ſanguinis miſſione ægrotantium corpora debilitari, ac reſolui. veluti ijs, qui ex multa plenitudine vel ſanguinis, vel aliorum humorum grauati, ab emiſſo multo ſanguine, vel pharmaco quoppiam in humoris copia exhibito exonerati, vires acquirant, ſæpe fieri obſeruatur. idq; exemplo alicuius humeris multum pondus geſtantis, qui uel omnino ab onere, vel aliqua in parte ſubtractus, collapſas ferè à labore vires recipit, illis perſuadere conabar. Quos etiam redarguebam, qui in mittendo ſanguine poſt aſſum-

ptum

ptum cibum,eum vſum non modo ipſorum multi ſectarentur,verum etiam artis medicæ rationi illum conſentire affirmarent. Hunc igitur vacuandi ſanguinis peſſimum eſſe vſum mordicus affirmabam,veluti neque alterum illum eorum vſum laudabam, qui apud omnes eſt frequentiſſimus in miſſione ſanguinis, vt ægrotis priuſquam ſecent venam, potum aliquem frigidum propinent. GVILAND. Fortaſsè cibum aſſumendi ante ſanguinis euacuationem vſum ex Arabum clariſſimorum medicorum mente illi defendere poterant,quando Auicenna lib. 1. fen. 4. hæc ad vnguem ſcri- cap. 22.
,, pta reliquerit, dicens. Subtilitatem vero ſenſus habenti, & debi-
,, litatem,buccellę mũdi panis in rob acetoſo bonum habente odo-
,, rem infuſæ ſunt dandæ. Et ſi fuerit debilitas complexionis frigi-
,, dæ,ſint intinctæ in aliquo, quod ſit ſicut aqua cum zuccharo cum
,, Alefniati,aut in ſyrupo mentæ muſcato,aut in myua muſcata,po-
,, ſtea minuatur ſanguis. Optimum igitur eſſe,priuſquam ſanguis euacuetur,eos aliquid cibi capere,qui ſtomachum debilẽ, vel ſenſus acutioris obtinent,cum Auicenna dici poterit. Cuius ſententiæ Raſim non minus grauiſſimum medicum eſſe, legitur in libro de phlebotomia, Vent. & Sang. ex mente Conſtantini, cum dixit:
,, Cholerici debent primo comedere, & poſtea minui: tamen de ci-
,, bo tenui admodum gallicelli,aut carnis hædinæ,aut de pane infu-
,, ſo in vino,aut ſucco granatorum. Sed ipſi,quorum corpora ſunt
,, rara,condenſentur, & poſtea minuatur. Cum itaq; hi præclariſſimi medici in biliosis ſtomachis, in ventriculo debilioris oris, vel acutioris ſenſus laudauerint prius aliquid cibi fore ab ægrotis capiendum, quam ſanguis mitteretur, mirum non fuit, ſi & Aegyptij,cum obſeruaſſent pleraque illorum corpora habere ſtomachũ debilem, ac bilioſum, idem fore ab ipſis obſeruandum ne animo linquerentur,ſibi ipſis perſuaſum ſit. Quod tamen minime aliquẽ Græcorum medicorum præcepiſſe legitur. quin potius contra in miſſione ſanguinis eos memorię prodidiſſe compertum eſt. Gal.
,, in lib.9.meth.med.dixit: Nam ſi precedat ciborum cruditas, tan-
,, to tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacere,
,, tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, videbitur. hoc idem in pluribus alijs locis docuit, præſertimque in lib.de cur.rat.per ſang.miſſ.atque in tertio epidem. Cui non modo omnes Græci planè aſſentiunt; verum etiam Arabes præcipui.
,, Quod ex Raſe in nuper citato libro his verbis legitur: Quoties

in

,, in ſtomacho cibariũ fuerit, nulla fiat minutio, dum non fuerit di-
,, geſtum, & egredietur ſubſtantia de inteſtinis, qui niſi emitti pote-
,, rit, emittatur cum clyſtere, deinde minutio fiat. & paulo poſt idem
,, ijs verbis clarius patuit, quæ ſunt. Horribilis eſt minutio ante
,, digeſtionem cibi, qui eſt in ſtomacho, & meſeraica, quoniam
,, facta minutione attrahitur aliquid de eo, quod in venis & ſtoma-
,, cho eſt ad hepar, & meatus eius, reſpectu vacuitatis ſunt ſtricti, &
,, incongruum eſt, quod attrahat crudum, ne fiat in venis humor
,, crudus nociuus, & eis non digeretur, ſed putrefit & augebit fe-
,, brem, aut infert ei aliquid peius, ideo expectanda eſt minutio ſi
,, opportuna fuerit, donec integre fiat digeſtio. Cuius ſignum ha-
,, bebitur per urinam croceam, & alleuiationem corporis, ſuſcitato
pauco appetitu cibi. Quid igitur dicemus, quando ita periculum
ſit (his grauiſſimis medicis docentibus) poſt cibum mittere ſan-
guinem, vt multos Aegyptiorum facere, dictum eſt. reprehende-
mus ne illos hac in re, an potius eos recte facere affirmabimus?
Hactenus tu quid ſit pro utraque parte ſentiendum, reſponden-
dumque, rectè intellexit. ALPIN. At ego ex te hoc dubij explicari
velim. GVILAND. Hæc in reſponſione ſunt prænoſcenda. In
primisq;, in ſanguinis miſſione primam operationem eſſe, eiuſdem
euacuationem, quam duo alij effectus ſequuntur, ſcilicet venarum
inanitio, & ſpiritus calorisvè diminutio, quam ſequitur vniuerſi
corporis refrigeratio, veluti inanitionem venarum omnium ſuc-
ceſſiua partium attractio. Atque à modica ſanguinis facta in ue-
nis inanitione, pauca, & ab immodica multa fiet ſanguinis attra-
ctio, quemadmodum etiam immodicam ſanguinis uacuationem
ſequitur immodica caloris naturalis reſolutio, vel diminutio, atq;
hanc omnium corporis partium refrigeratio, qua omnes functio-
nes in deterius abeunt. Ab hac poſtrema ſpirituum immodica
reſolutione, ſyncopis vel animi deliquium fit, quæ plerumque fit
reſolutis viribus a plurima ſanguinis euacuatione. Excitatur etiã
ſæpiſſime is affectus, ſtomacho valde imbecillo effecto, cuius uires
facile à modica etiam ſanguinis uacuatione reſoluuntur, vel eius
ore valde ſenſibili exiſtente, vel biliosis humoribus acrioribusque
oppleto. In ijs itaque uentriculo aliquo trium, nunc dictorum
modorum læſo, atque ægroto, non eſſet mittendus ſanguis. Quan-
cap. 5. do Gal. lib. 9. meth. med. os ventriculi nimium ſenſibile, aut imbe-
cillum, uel amara bile redundans, dixerit, prohibere ſanguinis
miſ-

missionem, quam dum moliri cogimur, acutorum morborum vrgente aliqua occasione, Arabes multi volunt os ventriculi pauxilo cibi muniendum esse, ac roborandum, ne in syncopim ægroti labantur, malumq; augescat bile amariore facta, à uentriculoque intra uenas rapta. Quia mēbri roboratione ac defensione à sincope, ut iam dixi, multi ægrotis euacuandis pauxilum cibi offerunt, atq; multi vice cibi exhibent aliquem frigidum potum, cum aliquo syrupo robur ventriculi respiciente, atque hic vsus potandi ante missionem sanguinis, vel statim ab emisso, uel dum educitur, est ferè apud omnes satis frequens, qui etiam ut alter cibandi in malum est apud ipsos deductus vsum, sed de potu paulo post dicemus. De cibo uero ante missionem sanguinis, ægrotis concedendo sum huiusce sententiæ, illud institutum inutile esse, neque citra periculum exerceri. In corporibus enim stomachum, neque imbecillum, neque nimium sensile eius os, neq; cum multa amara bile obtinentibus, cui dubium summum errorem esse, à cibo mitti sanguinem. Nihil enim ipsa ab emisso sanguine patientur, neque vires admodum resoluentur. Cibus vero multi mali causa fieri poterit, namque incoctus intra uenas attraheretur, quo venæ obstruerentur, quibus obstructis putredo & febris necessario augeretur. Quare in ijs non erit exercenda sanguinis missio statim à cibo. In alijs vero ęgrotis, habentibus, vt supra dictum est, ventriculum vel imbecillum, vel acutioris sensus, vel amara bile redundātem, nunquam si fieri potest ad missionem sanguinis est veniendum, quòd si à magno morbo cogemur id facere, possumus præcepto Aegyptiorum vti, ut detur aliquid cibi vel potus. Mihi tamen magis potus, quā cibus arridet. proinde illos magis laudo, qui aliquo potu vtuntur, quo acutum oris ventriculi sensum, vel bilis calorem, atque acrimoniam obtundant, atque attemperent. ALPIN. Quibus sanguinem mittere uolunt, ne in syncopem incidant, aquam simplicem crudam saccaro commixtam, cum modico, succi limonum, exhibent: quam potionem, vt postea dicemus, ipsi per excellentiam sarbet appellant, atque ipsam vel stillatitiam calaf, vel de nenuphare, vel de sonco, vel endiuia cum aliquo syrupo refrigerante veluti est violatus, nenupharinus, rosatus, de succo limonum, vel de acetositate citri. Alij eandem cum vino granatorum, atq; saccharo, atque alij exhibent aquam infusionis, florum calaf, vel berberorum, vel tamarindorum cum saccharo. Atque alij aliam offerunt

ferunt potionem, de quibus postea loquemur. Quæ omnia videntur idonea auxilia ex calida temperie imbecillo ventriculo, vel acutioris sensus, atque bilioso siue picrocolo, ab eo enim potu, exiente sanguine, non facile in deliquium animi ægroti concidũt. Quid mirum enim est, frigidæ aquæ potu à syncope ęgrotos defendi posse, cum ea tantum in facie proiecta, iam ortum deliquium animi mitescere compertum sit? GVILAND. Aquę illiusce potus vsum ijs, quibus sanguis statim mittitur, noxium potius, quàm vtilem apud eos iudico, quando vt ex te audiui, non modice, sed large frigidam aquam illis propinent, qui etsi videantur tunc iuuari, qui rectè perferant sanguinem missionem, tamen paulo post nimium refrigerato ventriculo, aliquam noxam sentient, maximeq; etiam quia ab ipsa intra venas rapta ægrotos in hydropem incidere posse Auicennas testatum reliquit. Quod eius uerba ita explicant:
,, In eo, qui phlebotomatur, super potum aquæ plurimæ timetur
,, hydropisis, propter expulsionem aquæ attractæ cum sanguine ad
,, profunda membrorum: Quare oportet, vt sit occupatus in prouocanda vrina, & ea, quæ sequuntur. Neque rectè vtilitatem aquæ in facie proiectæ calorem intus protrudentis, qui tunc viuidior in ventriculo, alijsq; internis membris fit, ei utilitati esse cõparandam iudico, quę per os potu aquæ in stomachum assumitur, quando hæc non modo calorem non uiuificet, sed potius imminuat, atque extinguat, & illa foueat, atque roboret, ab extrinsecus partibus ad interna uiscera eo recurso. hęc sufficiant, de ijs quæ manduntur, & potantur, in missione sanguinis: vtilius nunc erit, ut ad modos, pro quibus illi sanguinem mittunt exponendos, accedas. Ne tempus in his amplius conteramus.

## *Quot modis Aegyptij sanguinem mittere soleant. Cap. IX.*

### GVILANDINVS.

QVOT modis medici illi sanguinem mittere nunc consueuerint, ex te audire desidero, ex quo sermone non parum ego uoluptatis accipiam, quando apud illos medicos cogitem, prętер eam rationem, qua nostri medici in mitten-

da

do ſanguine utuntur, aliquos alios in uſu eſſe mittendi ſanguinis modos, quos noſtris non minus pro uarietate preſidiorum, quàm utilitate multa, maxime gratos fore exiſtimo. Igitur ſi placet, de his ſermonem inſtituas. ALPIN. Tribus modis eos mittere ſanguinem ibi obſeruaui, ac cognoui, quippè per uenarum, & per arteriarum ſectionem, atque tertio per ſcarificationem cutis. Venarum enim ſectione non ſecus quam noſtri, nacti ab acutis, atque magnis morbis occaſionem, ſanguinem mittunt. ſed à plurimis uenis, quæ apud noſtros medicos non ſunt in uſu, miſſionem ſanguinis exercent, ueluti ſunt uenæ temporum, frontis, aurium, angulorum oculorum, naſi, labiorum, gulæ, atque aliarum partium aliæ, quas paulo poſt recenſebimus. Arteriarum pro miſſione ſanguinis etiam ſectionem, apud ipſos eſſe non minus in uſu, quàm uenarum ad multos chronicos morbos profligandos, omnes, qui ea loca habitarunt teſtes exiſtunt. Et ego hiſce oculis ſepe uidi frontis, aurium, manusq; arterias ſectas, que non ſecus quàm uena breui tempore coaluerunt. Harum uſum pro mittendo ſanguine, Aegyptiorum, Arabumq; proprium eſſe exiſtimo, quando alibi nuſquam gentium, neque uiderim, neque audierim obſeruari talem miſſionem ſanguinis, que etſi multis ad multos morbos idonea, ac multum utilis eſſe uideretur, non tamen arteriarum ſectionem tutam, atque ſine magno periculo exerceri poſſe quiſquam affirmabit. magna ſi quidem cum difficultate, & non ſine multo uitæ diſcrimine ſectæ arterie coaleſcere poſſunt, ut & apud Galenũ & alios preclariſſimos medicos planè conſtitutum eſt. Sed de his ſuis locis loquemur accuratius, atque uberius. Cute etiam ſcarificata, frequentiſſime, atque familiariſſime mittunt ſanguinem, in pueris, mulieribus, atque Eunuchis. Scarificant autem ad mittendum ſanguinem, crura, aures, nares, labia, & ab his partibus ſcarificatis abſque ulla cucurbitula ſanguinem euacuant. Aduertant medici noſtri temporis, illos nunquam ab illis ſcarificatis partibus pro eductione ſanguinis ullo cucurbitularum genere uti, ſed earũ uice dulcis aque calido balneo, nec unquam pro uniuerſali corporis euacuatione cucurbitulis ſanguinem educunt, ſed ſolum pro partis alicuius euacuatione molienda, preſertimq; capitis, neque preterea partibus corporis cucurbitulas affigere ſolẽt pro mittendo ſanguine, occipite atque collo exceptis, à quibus in oculorum morbis, multisque alijs calidis morbis capitis, ſemper facta uni-

uersali corporis euacuatione, scarificationi cucurbitulis appositis sanguinem mittũt. Cucurbitulę etiã, quibus illi medici vtuntur ab ijs, quę apud nostros in vsu existũt planè diuersæ spectantur, illiq; diuerso modo ijs vtuntur. Quando eas non igne, vel aqua, vt nostri faciunt, sed spiritus attractione cuti affigunt. Sanguinis missionem per hirundines prorsus negligunt, quod ibi hæ fortassè non nascantur, neque reperiantur. Hiq; modi existunt, quibus illi medici sanguinem mittunt. Nunc vero de omnibus uenis, quarum sectionem pro sanguinis missione frequentant, loquendum est.

## *De venis, quæ in vsu sunt, apud Aegyptios pro molienda sanguinis missione. Cap. X.*

### ALPINVS.

APVD medicos Aegyptios pro missione sanguinis faciendа omnes vtique venæ in vsu existunt, sed quæ magis familiares apud ipsos habentur, sæpiusq; frequentantur, sunt temporum, frontis, magnorum angulorum oculorum, auriũ, nasi, narium, labiorum, præsertimq; inferioris labij, linguæ, occipitis, colli, atque iugulares, cubiti, manus, poplitis, surarum, atque tali. Vsus vero uenarum capitis apud illos frequentissimus, atque familiarissimus est, quod sæpe ingens ipsorum caterua oculorum lippitudinibus corripiantur, atque afflictentur. Quibus occurrunt, sanguinis in primis facta euacuatione, ex cephalica, cubiti directe parti affectæ uel magis læsæ respicientis, & mox secta vena frontis, deincepsque non desinente morbo, magnorum angulorum oculorum. Multi priusquam ad venã frontis accedant, missionem sanguinis ex occipite, atq; partibus proximis post aures positis, cum scarificatione appositis cucurbitulis procurant, atque mox non sublata oculi inflammatione, ad alias nuper dictas secandas descendunt. GVILAND. Rectè in ijs secandis se gerere videntur, quando, ut Gal. in lib. de constit. art. med. docuit, sanguinis euacuationem affectæ parti per vicinarum partium venas fieri oportere, ve-
cap. 17.
,, luti his uerbis apud ipsum legitur: His ergo docentibus, qui in
,, coxendicem fluxus decubuere, per poplitum ac malleolorum eua-

cuabimus

,, cuabimus venas, uti ſanè, & quæ in vteris hæreſcunt: quæ in tho-
,, race ac pulmone habentur, per uenam cubiti internam: Quæ in
,, capite & in collo ex humeraria. Proximarum enim, omniumq;
,, affectæ particulæ venarum euacuatio optima eſt ac facillima.
Prouidere itaque oculorum inflammationibus per has ſectas uenas rectè videntur. Sed quo nam modo ipſi paruas, uixq; apparentes multarum partium uenas ſecare queunt. ALPIN. Certè Chyrurgi Aegyptij, ſiue operarij in ſcindendis venis, longe noſtris accommodatiores, ac peritiores obſeruantur, tenuiſſimas ſiquidē ac multum obſcuras venas commode ac tutò ſecant. Quod etſi tutò faciant, nihilominus in multis partibus, ubi hæ minimę uenę, vixq; conſpicuæ cernuntur, ſcarificatione vtuntur, pro euacuando ſanguine, veluti faciunt ab auribus ſanguinem mittere volentes, venis intra extraq; ipſas ſcarificatis (Quamquam Gal. in 6. epidem. Hippocratem reprehenderit, dicentem: Cedmata curantur
,, ſcarificatis uenis quę intra aures ſunt) Idemq; in labijs, gingiuis, naribus, collo, cruribusq; facere obſeruantur. à quibus partibus ſcarificatis non æque copiam ſanguinis euacuant, namq; ab auribus, labijs, gingiuis, collo, paucus emanat ſanguis, cuius pauca quantitate ex auribus infantium detracta (hęc enim aurium ſcarificatio propria ferè puerorum ibi exiſtit.) atque etiam à labijs, gingiuisq; eductum ſanguinem etiam in adultis pręcedente vniuerſali euacuatione, mederi poſſe malis illarum partium arbitrantur. GVILAND. Expecto etiam ut dicas, quibus malis occurrant ex ſectis ijs ſingulis nuperdictis venis, pro ſanguinis euacuatione facienda. De cuiuſque igitur ſectionis, qua hi utuntur pro miſſione ſanguinis, vtilitate, nunc te uerba facere cupio. ALPIN. Dico igitur a uena frontis facto principio, eam Aegyptios ſecare, atque ab ea ſanguinem mittere, in maximis capitis doloribus, ac inflammationibus: quibus malis ſanguinis euacuationem ex iſta uena celebratam verè conducere Hippocr. lib. 5. aphoriſ. & Gal. tum in lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. tum in 13. meth. nos docuerunt. Itidemq; uenas temporum, magnorumq; angulorum oculorum ipſi in ijſdem affectibus ſecant, quibus ab ijs ſectis uenis miſſionem ſanguinis conuenire Gal. in lib. de Anatomia viuorum, ſcriptum reliquit; quippè in capitis doloribus, pręſertimq; hemicraneis, atq; in antiquis ophtalmijs, & lachrymis, pano, ſcabie palpebrarum, nyctalope. Venas uero poſt aures, atque intra aures

aph. 68.
cap. 19.
cap. 11.

ſecant in pueris aliquo acuto morbo vexatis, preſertimq; in calidioribus capitis morbis. Nariumq; & naſi venas incidunt in antiquis doloribus capitis, atque in oculorum etiam paſſionibus, faciciq; ruboribus, & inflammationibus, proximas naſo particulas lædentibus, vt eſt gutta roſacea. GVILAND. Hunc venarum vſum, atque vtilitatem fortaſsè eos à Galeno accepiſſe, dicendum erit, qui in lib. 1. de comp. med. ſecundum loc. hæc eadem à te narrata
,, ad unguem his verbis ſcripſerit, dicens: Quod ſi affectio (vt potè
,, dolor capitis) perſeueret, venæ ſectione à naſo, aut fronte, aut cu-
,, curbitis affixis vtitor, ſanguinis à locis affectis detractiones in affe-
,, ctionibus inueteratis conuenire omnes medici fatentur. ALPIN. Et labiorum, gingiuarumq; venas ſecant, vel potius ſcarificant, in faucium, gutturis, oris, gingiuarumq; inflammationibus, atque in dentium maximis doloribus, à dentium gingiuarumq; morbis, atque labiorum fiſſuris ſcarificatione gingiuarum, ad dentium radices ter quaterq; in menſe facta, ſe longo tempore præſeruant, eas vero ſcarificant acutiſſimo ſtilo argenteo, vel aureo. Mittunt etiã ſanguinem ſectis ſub lingua venis in gutturis, aſperæ arterię, faucium, & tonſillarum inflammatione, non ſecus quàm noſtri faciãt. Collum vero atque mentum ſcarificant, in gutturis maximis inflammationibus, ab ijsq; ſanguinem mittunt, appoſitis cucurbitulis. Quod ex Galeno faciendum, in ijs morbis in 6. de compon.
cap. 3. ,, med. ſecundum locos, his uerbis docemur. Si vero nihil tale ap-
,, paruerit, augeſcat tamen malum, ita, vt ægre transglutire poſſint
,, ægri, vt ſuffocationis principium ſit nobis ſuſpectum, aluus forti
,, clyſtere, aut glande ſubducenda eſt, & uena cubiti ſecanda cucur-
,, bitæq; cum ſcarificatione collo ac mento affigendæ. GVILAND. Quaſi iſtæc omnia Gal. confirmat de miſſione ſanguinis à venis capitis, quæ tu nunc dixiſti, in lib. de curat. per ſanguinis miſſ. ita di-
cap. 19. ,, cens: Quo circa quæ in gutture & arteria graui torquentur in-
,, flammatione, in principio quidem ſecta in cubito vena, poſt prin-
,, cipium autem in ipſa lingua magnifice prodeſt, inciſis videlicet
,, venis, quæ in ea ſunt, ambabus. Sic induratæ phlegmones in ocu-
,, lis reliquiæ, ſecta, quæ ad magnum decurrit angulum vena, mi-
,, rifice iuuantur: Sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex
,, plenitudine dolores leuare, manifeſte ſolet tuſa in fronte uena: ac
,, incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitam in ceruice procu-
,, rata retractio, interim quidem ſolam, interim cum ſcarificatione.

Sed

Sed tu perge reliqua enarrare. ALPIN. Iugulares venas non minus secant in maximis, tum gutturis, tum cæterarum partium respirationi subseruientium inflammationibus, atque tumoribus, maximeque in angina suffocante. Multo etenim sanguine ex altera iugularium secta uena, euacuato, multos ferè planè suffocatos ad vitam reddijsse, à multis illorum, atque à me obseruatum est. Neque mirum, quando & Auctor lib. de Anat. viuorum hęc scri-
,, pta reliquerit: Et ex istis sunt duæ iugulares, & minuuntur in prin
,, cipio lepræ, & fortis anginæ & angustia anhelitus, & in asthmate
,, acuto & in raucedine vocis, & in apostemate pulmonis, & in spi-
,, randi difficultate, quæ ex multo sanguine fit calido, & ægritudinibus splenis, & laterum. De aliarum vero venarum vtilitate nihil amplius dicam, quando satis omnia, quo ad illorum risum hactenus dixerimus. De crurum uero auriumq; scarificatione, à quibus partibus per scarificationem absque cucurbitulis mittunt sanguinem, aliàs suis locis loquemur. Atque hic est illarum omniũ venarum apud Aegyptios frequentatus vsus, & utilitas. Quæ omnia non dissentire videntur a Galeni doctrina. In lib. enim nuper dicto, si tamen eius est, de venarum temporum, iugularium, magnorumq; angulorum oculorum, atque omnium aliarum vsu atq; vtilitate eadem planè leguntur, & illarum, quę in naribus existunt, fronte, lingua, in lib. 2. & 6. de comp. med. secundum loc. non minusq; usus cucurbitularum in collo & mento, atque post aures in lib. de oculis, atque in 6. epidem. GVILAND. Priusquam ulterius progrediaris lubet aliqua aduersus ea, quæ de vsu uenarum, quæ sunt in magnis oculorum angulis atq; post aures positæ, ex Aegyptiorum instituto dixisti, nunc in medium afferre. Nam author
,, lib. de anat. viuorum dixit: Et duæ uenę temporum, quæ flexuo-
,, se incedunt: & duæ uenæ quæ sunt in angulis oculorum lachry-
,, malibus, nõ apparent multum, nisi propter constrictionem suffo-
,, cantem, & in ipsis non est profundandus phlebotomus, quoniam
,, fortè fierent fistulæ, & non egreditur sanguis nisi paucus. Ex his igitur apparet usum uenarum, magnorum angulorum oculorum neque tutum, neque multum vtilem esse, quando ab ijs sectis uenis, & fistularum impendeat periculum, ex parte subiacente ad suscipiendas fistulas facillima, atque cum parum etiam sanguinis per earum uenarum sectionem euacuetur, parum vtilitatis esse possunt. Eas uero quę intra, extraq; aures cernuntur, quas tu se-

cap. 2.
cap. 3.
comm. 5.
text. 22.

care illos affirmasti, certum est Galenum, Hippocratem in 6. epid. reprehēdisse, qui dixerit, Oedemata curari scarificatis quæ in aures sunt. De uenis autem post aures positis Hippocr. hæc in lib. de
cap. 11. ,, aere loc. & aquis memoriæ prodidit: A principio morbi utram-
,, que uenam retro aures incidunt, quo facto, sanguine multo pro-
,, manante somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque obdormi-
,, scunt, quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, ali-
,, qui uero minime. Acq; mihi sanè uidentur ea medicatione seip-
,, sos perdere: venæ enim retrò aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferet his, quibus secantur: Quamobrem ex ijs apparet, primo magnorum angulorum venas paruę esse utilitatis, quòd per ipsarum sectionem paucus sanguis educatur, & secundo, auriū nuper dictas sectas uenas sterilitatis, atque exitiosi somni aliquando esse causam, ideo illarum usum haud à nostris medicis arripiendum puto. ALPIN. De uenis magnorum angulorum in oculis Galenum dixisse, paucum sanguinem uacuari, atque impendere periculum ex ipsarum sectione futurę fistulę, uerissimum est, si ta-
cap. 9. men is eius est liber. quando in alio libro de curat. per sang. miss. de ijs uenis, hęc etiā scripserit: Sic induratę phlegmonarū in ocu-
,, lis reliquię secta, quę ad magnum decurrit angulum uena, mirifice iuuatur. Ego uero semper quantam volui sanguinis copiam, ab his sectis uenis in multis corporibus detraxi. Francisco enim Rigono, Georgij Hemi, eo tempore ibi pro Serenissima, simulq; fœlicissima Veneta Republica, Consulis clarissimi, Oeconomo, difficili oculorum lippitudine afflicto, uena, quæ dextri oculi magnum perreptat angulum, dissecta, sanguis ad librarū pondus sępe detractus est. Nullisq; etsi in pluribus istius uenę sectionem obseruauerim, exinde fistulam obortam fuisse obseruaui. De uenis uerò, quę tum intra, tum extra aures existunt, quas omnes scarificatione secant, quamquam in illarum sectione Gal. Hippocratem reprehenderit, nos posterius, ubi de scarificatione aurium sermonem habuerimus, quid sentiendum sit dicemus. Quod verò apud Hippocratem legitur in lib. de aere loc. & aq. de uenarum post aures positarum sectione, atque ab illa uacuato copioso sanguine, cum sterilitatem induci, tum immoderatos somnos, partim uerum, partim falsum est. Etenim ex larga sanguinis per illas uenas dissectas euacuatione homines in profundissimos, longissimosque somnos, prolabere, non est mirum, multa ex inde cerebri facta refrigeratione,

ne, ab imminuto calore natiuo, ob multam cum ſanguine ſimul ſpirituum factam diſſolutionem. Minime tamen obſeruatum eſt, aliquam ab ea ſterilem euaſiſſe. Memini iuuenem Chriſtianum natione Cophtum, annos natum ſupra viginti, Aois appellatum, Cayri ab appoſitis cum ſcarificatione cucurbitulis poſt aures, ob oculorum difficilem ophtalmiam, illisq; venis profunda, more illorum, ſcarificatione facta inciſis, ac plurimo vacuato ſanguine, in profundiſſimum ſomnum incidiſſe, ex quo multi mortuum ipſum ſunt arbitrati, qui tamen poſt tres dies expergefactus, conualuit, paucosq; poſt menſes puellam pro uxore duxit, cum qua filium habuit. hæcq; à me obiter de his dicta ſint. GVILAND. Venas capitis multas quippè temporum, angulorum oculorum, naſi, frontis, & alias non niſi propter conſtrictionem ſuffocantem apparere, vt commode ſecari poſſint, Author libri de anatom. viuorum docuit. Propterea neſcio an Aegyptij illas ita parent, ut intumeſcant more noſtrorum linteo quam fortiter collo deuincto, vel alio utantur, vt idem preſtent, artificio. Amplius duo etiam alia ſcire ex te cupio, quorum alterum eſt, quo pacto iugularem venam apparere faciant, quaq; in parte rectè appareat. non minuſque quomodo ab ijs ſecetur. Demum idem de ea, quæ in poplite ſcinditur à te dicendum puto. ALPIN. Eodem modo, quo noſtri facere obſeruantur, Aegyptij vtuntur in ſecandis omnibus capitis venis, ligantes collum linteo, quam fortiter, vel etiam frontem proſcindenda vena frontis; In ſecanda uero altera iugularium, in primis collo eodem modo fortiter linteo deuincto, ægrotum caput flectere, atque inclinare ad oppoſitam partem iubent, venamque per rectitudinem tundunt: ac vacuato ſanguine, caput preter quod ad oppoſitum inclinantes diſtendunt, obliquè flectunt, vt venæ ſectio obtegatur, faciliusque coaleſcat. Secant itidem ſub poplite venam, facta ligatura ſub genu, interimq; etiam ſupra genu. Sed ſepe non apparet, maximeq; in ijs quorum corpora venis exiguis referta ſunt. Sed tempus eſt, ut ad arteriarum ſectionem, qua Aegyptij non ſecus quam in venis vtuntur, tranſeamus.

## *Aegyptios arterias pro ſanguinis miſsione non ſecus quàm venas ſecare. Cap. XI.*

### ALPINVS.

AEGYPTIIS ſanguinis vacuatio per ſectas arterias non minus quàm per uenas, familiariſſima eſt, & abſque ullo timore eas ſecant ad quamplurimos curandos morbos. Vſumque ſanguinis vacuationis per ipſas ſectas frequentiſſimum habent, ac pro tutiſſimo auxilio, diuinoque ſecreto, ad diuturnas oculorum ophtalmias, atque inueteratas, nec non ad capitis, viſcerumq; multorum antiquos, diuturnosque dolores. In hisq; malis audaciſſime illi non ſecus quàm venas, arterias ſecant, atque ab ipſis ſanguinem mittunt. GVILAND. Mirabile nunc ex te de arterijs audio, quòd ipſas pro mittendo ſanguine illi medici ſecare audeant, atque ita familiariter & tutò, perinde ac in venis facerent, hoc certè non poſſum non multum admirari, maximeq; cum nemo noſtrum hanc prouinciam aggredi hactenus auſus fuerit. Harum ſiquidem ſectarum arteriarum vſum pro miſſione ſanguinis, non modo omnibus medicis recentioribus, verum etiam antiquis maxime ſuſpectum fuiſſe, multorum teſtimonijs planè conſtat. Neque immeritò Gal. in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. hęc loquen-
cap. 13. ,, te: Quin & interijſſe quoſdam noui ab arteria interiori in cubito,
,, venæ ſubiecta, nonnullos quidem protinus ob uinculum circum-
,, poſitum, uolentibus medicis ſiſtere ſanguinis eruptionem, in gan-
,, grenam incidentes: alios poſtea in aneuriſmate manu curando defunctos. Quo timore non iniuria in animos, tum antiquorum, tum recentiorum medicorum inijecto, exinde omnes abhorruere ſanguinis miſſionem per arteriarum ſectionem faciendam, tantiq; remedij uſum hinc paruifecerunt, atque neglexerunt. quid itaque ais, tantam illis medicis Aegyptijs nunc inesse audacię, ut omni abiecto timore, magnisq; neglectis periculis, arterias, uſq; ad mittendum ſanguinem ſecent? ALPIN. An non tibi videntur medici tutò poſſe arterias ſecare, quia fortaſſe ſectæ arterię nequeant coaleſcere, atque hinc aneuriſmatis periculum impendere, tandemq; exitij? Fortaſſe nunc eorum tibi non uenit in mentem, quæ Gal.
cap. 6. hac de re ſcripſerit in libro 5. methodi, quæ ſunt huiuſmodi.

De

,, De arteria autem vulnerata iam dictum est, nõnullis medicorum
,, videri non posse fieri, ut coeat. Atque asserunt aliqui quidem so-
,, la experientia se contentos professi: Alij uero etiam ratione usi
,, eiusmodi, siquidem duram esse ac cartilaginem aiunt alteram ar-
,, teriæ tunicam, talium uero nihil posse in unum coire, cum sit mol-
,, lium tantum corporum in unum coeundi habilitas: ut tum in ex-
,, ternis, videlicet nullo nec lapide cum lapide, nec testa cum testa
,, unquam coeunte: tum vero in nobis ipsis, quando nec cartilago
,, cum cartilagine, nec os cum osse coalescat. Non enim fracta os-
,, sa per unionem cohęrent, sed per callum eum, quem Greci poron
,, vocant, ceu glutino iunguntur: siquidem arteriæ natura difficul-
,, tatem quidem durioris tunicæ suę glutinandæ, prorsus indicat,
,, non tamen eiusmodi, quæ euinci omnino nequeat, neque ita est
,, sicca & dura, ut os uel cartilago, immo longe his mollior, ac magis
,, carnosa. Quo utique minus de unienda sectione eius est despe-
,, randum, ubi tum ipsa sit parua, tum hominis corpus natura mol-
,, le. Videtur autem experientia quoque ipsa rationi subscribere:
,, cum & in pueris & in mulieribus propter corporum humiditatẽ,
,, & mollitiem, eam uiderim glutinari, & in uno iuuene, cui (vt di-
,, ctum est.) exigue erat incisa. Cum vero sanatu difficilior sit ar-
,, teria, quàm uena, non tamen est medicamentorũ admodum diuer
,, sus in utraq; usus, immo specie planè idem maioris, minorisque
,, ratione euarians. Quippè tanto siccioribus medicamentis eget
,, arteria, quàm uena, quod si carnem circa gigni est opus, eadem
ambę requirunt. atque hęc Gal. Ex quibus cum constet arterias
sectas posse coalescere, quamquam non ita facile id sit, cur & nos
non fatebimur, tutò posse earum aliquas pro mittendo sanguine
secari? nec ab ipsarum sectione, semper aneurismatis pendere pe-
riculum? Mihi quidem hoc videtur, verum ratione in primis,
quod arteriæ sectę possint coalescere, atque mox experientia Aegy
ptiorum omnium, quos sæpissime viderim multas in multis ęgro-
tis secuisse, absque ullo discrimine uel timore, nullumque à secta
aliqua arteria obijsse vidi. quinimo multos exinde sanatos fuisse.
Galenus etiam uisus est hoc non modo, non reiecisse remedium
uerum tutò medicos utique arterias secare posse confirmasse, atq;
easdem coalescere posse. Etenim ipse in libro de curat. per sang.
miss. circa finem dixit: postquam per insomnia monitus arteriam
secui, quę est inter pollicem & indicem, & sanguinem ea secta misi,

beneq;

beneq; successit, atque uidi etiam magistrum quendam Pergami arteria cubiti secta, à lateris dolore liberatum absque ullo aneurismate. atque hæc etiam subiungens, ait: Hæc itaque mihi persuaserunt, ut subinde in summis artubus, immo & in capite arterias secarem in omnibus doloribus, qui à calida, spirituosaq; substantia nasci uidebantur, & maxime in membranis: quorum dolor punctioni similis est, ac sensim expanditur, pungente quidem sensu una in parte, tanquam in affecti loci centro infixo. GVILAND. Non differt mea hac in re è tua sententia, quinimo eidem addictus sum, existimoq; non esse disperatam arteriarum sectarum unionē, atque coalescentiam. duo tamen existunt, quæ mihi huius rei ueritatem non parum ancipitem reddunt, quorum alterum est, pulsus in arterijs motus, qui uidetur ualde efficax ad uitandam arteriæ unionem, ulceriſque sanationem. Gal. enim pulmonum vlcera sanari non posse ob continuam pulmonum motionem, non immeritò docuit, cum ex motu vulnera, quæ coaluerunt, facile denuo rumpantur, atque aperiantur. Cogito itaque motum continuum arteriarum ipsis, quo minus coalescant, atque sanentur esse multo impedimento, quæ difficultas augetur à duriori substantia arteriarum, qua sectę arterię multo difficilius uenis sanari possunt. ALPIN. Galenus ait, arterias dura sanè substantia præditas esse, non tamen ea, quæ nullam recipiat coalescentiam, atq; unionem. Illi uero arteriarum, præualido motui facillimo ac tutissimo remedio occurrunt. Sectioni enim arteriæ, probè in primis vnitæ digitis frustrum æris planum, rotundum, & crassum superponunt, ipsumque ualide, ei annectunt, & fortiter ligant, vt ualide arteriam comprimat, atque eius pulsui valide obsistat, ne rursum vulnus aperiatur. GVILAND. Hæc sufficere mihi videntur, ad demonstrandum rectum in arteriarum sectione vsum, & hac ratione tuto illos medicos operari posse existimo. Nunc te quas illi suant arterias narrare decet, atque quonam modo, tum illas suant, tum sectas sanent, ab aneurismateque defendantur, & in quibus malis earum sectione pro mittendo sanguine, illi utantur.

De

## *De arterijs, quas Aegyptij secare solent, atque quomodo illas secent, & curent, & in quibus etiam morbis ipsarum sectione utantur. Cap. XII.*

### ALPINVS.

EIVS regionis medici omnium arteriarum, quæ in capite cernuntur, sectionem pro sanguinis uacuatione aggredi solent. In antiquis enim capitis doloribus, maximeq; cum pulsu affligentibus, in omnibusq; etiam capitis inflammationibus, arteriam frontis, temporum, atque eam quæ post aures est posita, secare solent, idq; fœliciter ipsis accidit, ex his uero omnibus eam, quæ in fronte existit, frequentius ad illius affectus scindere solent, præsertimq; in antiquatis ophtalmijs. Multos, qui uel antiquum capitis dolorem pertulerant, uel oculos longo tempore habuerunt lippientes, per sectam frontis arteriam sanguine euacuato subitò, quasi præstigio quodam sanatos fuisse Cayri uidi. Harum itidem earundem arteriarum usum Galeno fuisse plane cognitum, verba ab eo in lib. 14. meth. tradita probè
,, manifestant, quæ hęc existunt: Oportet autem deraso capite cu-
,, riose tangere, tum quæ retro, tum quæ secundum vtramque au-
,, rem sunt arterias: præterea, quæ in fronte, & quæ in temporibus
,, sunt. Quarum quæ calidiores alijs apparebunt, ac maiorem exhi-
,, bentes pulsum, hæ sunt incidendæ. Quæcunque uero & paruæ &
,, propè cutem resident, harum uel si partem aliquam excideris, ue-
luti facere in crurum uaricibus solemus, aptius erit. Quod & apud illos frequens est, neque immeritò, quando arteriæ, quæ calidiores atque grandiores apparent, multum sanguinem excalfactum, uel aliquo flatu permistum contineant, coq; repletæ distendantur: qui per eas sectas, tum euacuatur, unà cum halitu, tum refrigeratur. GVILAND. Quæso ne te narrare pigeat, an apud illos medicos videris nuper dictarum arteriarum aliquam sectam, ut venæ à nostris secari solent, simulq; extractam, uel exustam fuisse.
,, Quando in lib. de Anat. viuorum hęc de his legantur: Ex arterijs
,, verò, quæ sunt in capite est arteria temporis, quæ quandoq; adu-

ritur,

,, ritur, & hoc fit, ut rheumatismi subtiles constringantur, qui ad
,, oculos descendunt. & duæ arteriæ, quę sunt post aures, quę phle-
,, botomantur propter species ophtalmiæ, & principium aquę, &
,, nyctalopes, & antiquum dolorem hepatis, in earum tamen phle-
,, botomia semper existit timor, & tardatur consolidatio. ALPIN.
Nunquam illos medicos vidi arteriam aliquam totam secuisse, vel extraxisse, sæpissime tamen phlebotomatam non secus quàm venam fuisse in multis oculatim uidi. Sæpissime ad prohibendos catarrhales fluxus in oculos, temporum arterias exurunt. In omnibus sanè Aegypti locis quamplurimos exustis temporibus, ob eam causam cernes, is uero arterias illas, atque alias exurendi usus ab Aethiopia illuc delatus est. Nam Aethiopum, Abissinorumque plurimi eum modum exurendi affectant. Nunquam uidi aliquem usum fuisse sectione arteriarum, post aures positarum, pro lippientibus, atque ijs, qui hepatis dolorẽ patiuntur, hepate enim affecto illam secare solent arteriam, quæ inter pollicem digitum, & indicem manus pulsat. Quod a Galeno quoque comprobatum fuisse legitur in lib. de curat. per sang. miss. Audiui ab illis medicis etiam iugulares uenas in suffocantibus affectibus secari, quod ego nusquam in illis locis uidi. Secant in manu, ut dictum est, positam inter pollicem & indicem digitum, ab eaque mittere sanguinem solent ad omnes internorum viscerum dolores, atque inflammationes. Hæq; sunt arteriæ, quas eos ad sanguinem detrahendum, secare per id temporis obseruare potui. GVILAND. Illos mihi in multam gratiam reduxisti, qui non modo omnes Grecos, Arabesq; antiquos medicos longè in hoc superarint, cum nunquam ipsorum aliquem fuisse legatur, qui sectione arteriarum ita familiariter, & tutò usus fuerit, sed fortasse multis secretis auxilijs uel medicamentis sectas illas arterias, magis tutò cõglutinant, & ipsarum vulnus sanant, ALPIN. Duo nunc tibi narrò quorum primum est, quomodo illi secent arterias, secundum, sectas quo pacto facile sanent. Operarius itaque in primis partem in qua arteria scindenda existit, fascia linea non secus quàm in venarum sectione fieri solet, ligat, arteriamq; sanguine impleri, atque tumidam fieri sinit, quam tunc acutissimo phlebotomo, siue scalpro oblique secat (phlebotomis Aegyptij ad sectionem arteriarum longè nostris acutiores vtuntur.) in sectioneq; etiam illarum semper minimam efficiunt sectionem, quia sanguis tenuissimus est, atque

cap. 23.

etiam

etiam quod magnum vulnus difficilius coalescit. Secta itaque arteria sint sanguinis tantum effluere, quanto opus habet, cuius quantitatis regula à multis obseruatur, quando ex semetipso sanguis desinit effluere. Sanguineq; vacuato, non secus quàm nostri in sectis uenis ad vnionem digitis labia deducunt, ita sectam arteriam unit, eiusq; vulneri modicũ gossypij superponit, supra quem ęneum magnum denarium ibi vsitatum, (quem illi Follera appellant, estq; ipse latitudinis communis veneti aurei, & crassitie argentei aurei) fortiter, alligat permittitq; hoc modo arteriam ligatam, & adstrictam tribus diebus manere, quibus finitis, ligaturam detrahit, nullo alio ad ipsius curam auxilio ab ijs vsitato. nullumque ex plurimis, uidi, cui sectæ arteriæ fuerunt, qui detracto ęneo denario, ligatura post tres exactos dies, aliquo alio auxilio opus habuerit, sed integrè sanatos omnes obseruaui. Sunt uero aliqui qui priusquam ligent arteriam, gossypiumq; ei superponant, parum thuris accensę candelæ flamma calfacti apponunt, eoq; arterię vulnus rectè digitis uniunt, & mox gossypium, & tandem follara superponunt, atque alij lentium nigrarum puluerem arteriæ vulnus aspergunt, & mox gossypium & follaram apponunt. atq; hęc de sectione arteriarum apud illos vsitata sufficiunt, ex quibus colligitur duo in sectione illa obseruari, scilicet in ijs effectum minimum vulnus, per obliqueq; acutissimo phlebotomo adactum, & applicationem ęnei denarij supra arterię vulnus. Quo & frigiditate, & duritie pulsus arterię motus cohibetur, atque ne valide arteria pulsu vulnus percutiat, atque ne uehemens ille motus fiat, quo possit arteriæ vulnus rursum dilatari, atque obstare, quin arteria secta rectè coalescat, prohibetur. GVILAND. Hactenus vsum sectionis arteriarum probè narrasti, atque modum, pręterea tuto eas, tum secandi, tum sectionem sanandi, quare omnes facile nostri medici audacter ipsum usum aggredi, atq; experiri possunt. Quum posse multis ægrotis prodesse, ubi tutò administrari queat, nemo nostrum contendet. Sed de his satis. Nunc opere pretium esse existimo, ut etiam de cucurbitulis, quibus illi medici vtuntur, aliquid disseras.

De

## *De cucurbitulis, quibus in Aegypto medici utuntur. Cap. XIII.*

ALPINVS.

DVo cucurbitularum genera illorum locorum medici vsurpant, unum quippè uitreum, corneum alterum. Vtrumque tamen genus simul conueniat, quod spiritus siue oris attractione, siue ore attracta, uel retracta respiratione apponuntur. Omnes ij medici hoc scilicet modo illas pertractant. Igne enim, uel calenti aqua ipsas cuti affigere nemo illorum nouit. Sed ore tantum attracta respiratione, moliuntur opus, & sic cuti affigunt. Qui modus admouendi cucurbitulas planè ei similis uidetur, quem Hero Alexandrinus in lib. spiritualium nobis prodidit. Corneę, taurorum parua, perpolita & perforata existunt, quibus utraque extremitas, latissima quippe & angustissima, siue acutissima, meatu peruio constat. Earum formam subiectæ figurę demonstrant.

Cornu



Cornu anguſtior extremitas eſt perforata, ut operator ore eam excipiendo, per ipſum ſpirationem intro attractam, cucurbitulam altero ore expanſo latiori, affig re cuti poſſit. ea vero cuti eo modo affixa, anguſtioris extremi acuti meatus, uel foramen continuò ex ore detractum fruſtulo pellis ouilis ſalitia madefacta, & emollita clauditur, cuteque exinde in aliquem tumorem ducta, cucurbitulæ paruum foramen pelle obductum, & clauſum detegitur, atq; aperitur, quo aperto continuò cucurbitula à cute excidit, atque Chyrurgo rurſum eam cuti apponere volente, rurſum os latum magnum cuti aplicitum, extremi cornus paruum foramen ore excipi, rurſumq; ſpiritum intro trahit, quouſque probè affixam illam cuti adherere viderit, quo viſo continuo extremum pellicula nuper dicta lingua reuoluta claudũt, ne flatus exinde reſpirare queat. Hoc idem illi faciunt, volentes vnà ſanguinem mittere eadem cute ſcarificata. namque eodem modo cucurbitulam cuti anectunt, vel affigunt. atque extremi cornus paruum foramen ore excipiũt, ſpiritumq; in ſe trahentes ſanguinem foras trahunt. quem etiam ualenter trahit ſola cucurbitula cuti, eo modo affixa: quam non trahere, ut uolunt ſanguinẽ, cum viderint, opem ferunt ſpiritum ore valenter per paruum extremi cornus foramen trahentes. Hincq; ijs cucurbitulis eo modo uſi, quàm noſtris copioſior ſanguis euacuatur. Talium cucurbitularum igitur apud illos medicos eſt vſus. Cæterum hę ſępius chyrurgis ore ſanguinem, vt dictum eſt, trahentibus in cucurbitulam affixam, illud incommoditatis afferunt, ut ſanguis ſæpius in trahentium chyrurgorum ore trahatur, quando ipſę roſtrum vel cornu acutum extremum, cuius per foramen fit attractio, nõ altius multum emineat à corpore cucurbitulę, neque corpus eſt ita magnum, vt multum ſanguinem contineat, quod ſanguinem eductum ſuſcipit, atque retinet. Hincque vſum inſtituerunt vitrearum, quæ maiori corpore rotundiore ventre conſtarent, & in medium ventris ab eminentiori parte roſtrum longiſſimum peruium ſiue canum habberent. cuius munus foret, ut per ipſius foramen ſiue roſtri extremi os in ore chyrurgi exceptum, cucurbitulæ cuti applicarentur, atque ſanguinis miſſionem commodiorem molirentur, qua ſanguis eductus per roſtrum ad os trahentis non duceretur, ſed totus intra corpus cucurbitulæ retineretur, minimeque ad attrahentis os effluereret, cum roſtri extremitas à corpore eminẽtiſſima, ac remotiſſima ſit, roſtrum enim

lon-

longissimum existit. Vsus uero omnium nuper dictarum cucurbitularum unus, atque isdem est, tum cornearum, tum vitrearum. singulęque eodem modo ab ijs adhibentur. Visus est etiam Cornelius Celsus hæc nouisse, cum lib. 2. hæc scripsit: Cucurbitularum æneam & corneam. Aenea altera patet, altera clausa est. Cornea altera parte æque patens, altera foramen habet exiguum. In Aeneam linamentum ardens conijcitur, ac sic os eius corpori aptatur: imprimiturque donec inhæreat. Cornea per se corpori imponitur, deinde ubi ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superque cera cauum id clausum est, æque inhærescit. Verum in Aegypto cauum facilius, atque non minus tutò pelle siue membrana saliua emollita, linguæ opera claudunt, & non cera, qua foramini ita citò aptare, atque abigere, vt opus est, non possumus. Aeneæ apud illos in usu non sunt. sed illarum loco uitreis utuntur, quę hac figura, siue effigie efformantur, & cernuntur.

cap. 10.



Nullæ



Nullæ alię ab his, quas diximus, atque delineauimus, cucurbitulę apud ipsos in usu existunt, sed iam de vsu & ope illarũ loquamur.

cap. 10.

## *Qualis cucurbitularum apud Aegyptios sit vsus, in quibusq; morbis ijs ipsi vtantur.*
## *Cap. XIIII.*

### GVILANDINVS.

CVPIO modo illarum cucurbitularum usum audire, quando apud nostros medicos cucurbitularum ad plures morbos sanandos celeberrimum sit remedium, neque id immeritò, cùm hoc præsidij genus tantopere à multis præclarissimis medicis ferè, ad omnes morbos laudatum sit: quandoquidem ex antiquioribus medicis, Herodotus celeberrimus ijs sæculis medicus hæc de ijs (Oribasio referente:) scripserit: Cucurbitula materiam, quę in capite est, euacuare potest, itemq; dolorem soluere, inflammationem minuere, inflationes discutere, appetitum reuocare: imbecillum exolutumq; stomachum roborare: animi defectiones amouere: quę in profundo sunt, ad superficiem traducere: fluxiones siccare, sanguinis eruptiones cohibere, menstruas purgationes prouocare, facultatis corruptionis effectrices attrahere, rigores sedare, circuitus soluere, à propensione in somnum excitare, somnum conciliare, grauitates leuare, atque hęc quidem, quęq; his similia sunt, prestare cucurbitularum usus potest: Quę eadem apud Galenum in lib. de Hirud. reuulf. cucurb. & scarif. scripta leguntur, & Cornelius Celsus vsum illarum in febribus quouis tempore utilissimum, atque tutissimum prędicauit. iccirco hunc ipsarum vsum apud eam gentem, ex te nunc audire cupio. ALPIN. Dixi illos cucurbitulis absque missione sanguinis rarissime uti, sed in corporum euacuationibus eas frequentare. GVILAND. Pro uniuersali ne siue totius corporis euacuatione, an pro alicuius tantum partis, ipsas adhibere consueuerunt. ALPIN. Neminem illorum vidi, qui cucurbitulis aliquando pro uniuersali facienda uacuatione ex toto corpore usus fuerit. sed alicuius tantum partis gratia, precedente tamen uniuersali. Hincq; illarum frequentissimus est vsus, prius facta vniuersali sanguinis uacuatione

lib. 7. cap. 17.

ne ex sectis in cubito venis, in capitis doloribus, & inflammationibus: pręsertimq; in phrenitide, amentijs, morbo Dem el muia vocato, oculorum, auriumq; doloribus, ac inflammationibus applicant unam occipiti, atque duas partibus circumpositis, uel in collo. Cuti verò pro qualibet cucurbitula tres, vel ad plus quinque scarificationes infligunt, longas tamen atque profundas. rostrumq; cucurbitulę cauũ ore excipientes, ac spiritum fortiter trahentes quantum sanguinis uolunt euacuant. Frequentissimus cucurbitularum est vsus, cum scarificatione occipitis, atque partium circum ipsum post aures positarum, atque colli. emisso ex ijs partibus sanguine. qui multis officit, ipsisq; maxime, qui non admodum calido constant capite, quemadmodum in calidissimis capitis morbis sanguinis multa euacuatio, eo modo ab ijs scarificatis partibus ope cucurbitularũ, summopere semper prodest. Nihil est pręstantius ad excitandum somnum, quàm copiosa ab ijs partibus scarificatis sanguinis euacuatio. Sed hęc admodum cautè est administranda etiam in calidissimis capitis affectionibus, quando multos acutè febrientes ob continuas vigilias istac vsos immoderata sanguinis uacuatione, in veternosos, lęthalesq; somnos incidisse, obseruauerim. Hinc fortassè non immerito ab Hippoc. in lib. de aer. loc. & aq. proditum est, Scythas vsos hac immoderata vacuatione, vel in somnos lethales incidisse, vel inde viros impotentes factos, quippè immodice vniuerso corpore exinde refrigerato. In capitis verò doloribus, grauitatibus inflammationibus, oculorumq; lippitudinibus, & alijs calidis omnium capitis partium affectibus ex plenitudine obortis, summo semper adiumento erit ista moderata cucurbitulis procurata vacuatio. quod Gal. lib. de Hirud. reuulf. cucurb. his verbis planè etiam confirma-
,, tum reliquit, dicens: Incipientes, aut & vigentes capitis grauita-
,, tes dolores à plenitudine per cucurbitulam in occipite positam,
,, vel solam, vel cum scarificationibus iuuat: uerum totum corpus
,, antea vacuatum esse oportet. idemq; in lib. de curat. per sang. miss. cap. 19.
apud ipsum, legitur. Aegyptij medici in nuper dictis affectibus primo secta cubiti uena cephalica vel communi, occipiti applicãt cucurbitulas, mox cum morbus illis vacuationibus non cesserit, vel ad frontis, vel angulorum magnorum, vel narium, vel temporum venam secandam confugiunt. easdem etiam pro ijsdem malis ad vacuandum sanguinem supra occiput, in auersa capitis parte

applicantes. Certumq; est, ab his partibus, ita scarificatis, quantam sanguinis uolunt copiam vacuare. Cauent tamen hac uti vacuatione in ijs, qui caput frigidum, humidum molle, rariq; habitus obtinent, quod eorum ab hoc auxilio immodice cerebrum refrigeretur. Quo ita refrigerato, necessarium sit, mox ægerrime suas functiones obire posse. Siquidem hoc membrum suapte natura frigidum, haud facile sanguinis missione refrigeratum, recalescere potest. In occipite etiam & collo cum scarificatione cucurbitulas administrant ad gutturis inflammationes, fœlici cum successu, nam præter quod à parte affecta euacuant, etiam naturam excitant, vt per eam viam noxium humorem expellat. Quasi conentur cucurbitularum ad eam partem facta attractione, naturæ motum ad exteras illas partes imitari. Siquidem ad eas partes humorum decubitum sæpissime naturam critice facere, ex Hipp. lib. 6. aphorism. colligi potest; Quum ipse dixerit: Ei, qui ab angina corripitur si tumor factus fuerit in collo, bonum est. atque etiam in lib. 7. aphoris. Ei, qui ab angina corripitur, si tumor & rubor in pectore superuenerint bonum, extra enim vertitur ægritudo. A dorso, lumbis, scapulis, pectore, naribus, atque cruribus nusquam in Aegypto aliquem vidi, qui sanguinem per cucurbitulas, eduxerit. Gviland. Non ne euacuant plenitudinem totius, aliquando cucurbitulis? An non, vt nostri, præter occiput posterioresq; capitis partes, scapulis etiam dorso, lumbis cruribus, atque alijs corporis partibus eas applicant, atque sanguinis per eas vacuationem procurant? nonne etiam vtuntur in pestiferis febribus ad iuuandam exanthematum eruptionem, ijsdem scarificatis, atq; etiam sine scarificatione, quas nostri appellant leues cucurbitulas, uel siccas. Quales uerò facere illi scarificationes consuescant libenter ex te audirem. Alpin. Illi rarò vel nunquam vtuntur cucurbitulis sine scarificatione, neque preter nuper dictas capitis partes, occiput, scilicet, omnemq; auersam partem, atque post aures inter occiput, & collum, alias ab his pro uacuando sanguine usquam scarificatas, potui obseruare, iccirco neque dorso, lumbis, natibus, coxendicibus, cruribusq; applicant cucurbitulas, pro adiuuandaq; exanthematum apparitione multo minus ijs vtuntur. quinimo potius aduersus nostros omnes, qui pro adiuuandis variolis, morbillis, vel punctículis malignis, vsum illarum in nuper dictis partibus consectantur, multa (me audiente) dixerunt quibus earum

aph 37.

aph. 49.

vsum

vſum in peſtiferis ijs febribus cum exanthematibus ab animis noſtris penitus eruerent. Demum nullis cucurbitulis tollere poſſe plenitudinem vel vniuerſalem etiam, vel particularem affirmant, atque hinc nemo ipſorum vſum cucurbitularum aggreditur, niſi poſtquam uniuerſum corpus probè fuerit vacuatum. Pro qualibet cucurbitula applicanda quattuor, aut ad ſummum quinque infligit ſcarificationes ea longitudine, qua eſt indicis latitudo profundè adacto ſcalpello, non epidermidem tantum, ut peſſime noſtrorum medicorum multos paruas, ac tantum in ſuperficie cuti ſcarificationes infligentes, facere dicunt. ſed multo profundius ſecundam cutem, atque adeo carnem vulnerantes, atque ſcindentes. Gviland. Mihi haud mirum eſt, vſum cucurbitularum in occipite, eiusque proximis partibus apud Aegyptios ita eſſe frequentiſſimum, & familiariſſimum, quando etiam veterum clariſſimorum medicorum non pauci eundem morem ſecuti ſint, preſertimq; Hippoc. atque Galenus. ab occipite enim eiusq; proximis partibus ad capitis dolores, grauitates, atque longe magis ad lippitudines oculorum, ſanguinis miſſione cucurbitulis, nuper dictis partibus applicatis vſos fuiſſe, hæc in libr. aphoriſm. à Galeno memorię mandata explicant: In doloribus itaque partis ca-
,, pitis poſterioris, cum auerſione euacuatio ex fronte fiet: ſicut
,, anterioris ex occipite. Sic itaque diuturnæ oculorum fluxio-
,, nes ſæpius ſanatæ ſunt, ex partibus ſecundum occiput ſanguine
,, miſſo unà cum cucurbitulæ vſu, atque in lib. 13. meth. med. hæc
,, habentur: Præterea cucurbita in occipite defixa efficax eſt reme- cap. 19.
diũ ad oculorum fluxiones: & in lib. de curat. per ſang. miſſ. ipſe eadem, quæ ſuperius in eiuſdem de Hirud. cucurb. libro ſcripſiſſe,
,, annotauimus, ſcripta reliquit, ita dicens: Sicuti capitis grauita- cap. 19.
,, tes & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeſte
,, ſolet tuſa in fronte vena. At incipientes, aut etiam vigentes per
,, cucurbitam in ceruice procurata retractio, interim quidem ſolam,
,, interim cum ſcarificatione. Cæterum preuacuatum eſſe corpus vniuerſum oportet. & Hippoc. in lib. de paſſionib. vbi agit de faucium inflammationis auxilijs, dixit: Si uero ex his gracilis non
,, fiat, retro raſo capiti cucurbitæ duæ adhibentur, & ſanguinis plu-
,, rimum detrahatur, & pituitæ fluxus retrò reuellatur. & Gal. in lib. de medicamentis facile parabilib. de oculorum vitijs ſermonem
,, habens, ſcripſit: Quod ſi vehemens fuerit capitis grauitas, aufe-

,, renda erit, ac occipitio cucurbitula affigenda, concisa prius cute
,, scalpello, copiosusque inde sanguis detrahendus. Quare cum
apud Hippocratem & Galenum medicos præclarissimos vsus cucurbitularum in occipite, & circum ipsum fuerit frequentissimus, non est mirum eodem modo Aegyptios eandem retinere consuetudinē; ita, neq; in his solum, sed in alijs partibus græcos illos imitantur. Hippocrates enim in libro de loc. in homine (si tamen eius est liber.) prope aurem ad alterius auris dolorem apponendam esse cucurbitulam memoriæ prodidit, non minusque etiam in coxendico dolore coxendici, ad foras trahendum humorem. Eiusdemque coxendici applicatæ usum ad procidentiam vuluæ
aph.50. in lib. de natura humana laudauit. & in lib. 5. aphorism. de ijsdem
,, ad mamas administrandis, & utendis ait: Mulieri si uelis men-
,, strua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mamas appo-
,, ne. & Gal. idem in lib. 13. meth. med. scriptum reliquit, atque de
,, earundem ad præcordia etiam usu. Sic namque ad mamillas cu-
cap. 19. ,, curbitam imponimus, cum sanguis ex utero profluit, defixo ma-
,, xime in ipsis communibus pectoris, & uteri uasis eius ore. sic si
,, ex naribus sanguis profunditur, præcordijs maximas cucurbitas
cap. vlt. affigimus. & Gal. in 1. lib. ad Glauc. docuit: ad firmandum sanguinis fluxum ex liene prodeuntē, hypochondrio sinistro, & ex hepate dextro cucurbitam esse affigendam. idemque omnino in lib. de curandi rat. per sang. miss. affirmauit. eademque umbilico positam
cap. 19. cum multa flamma incantamenti modo dolorem uentris a flatulento spiritu ortum sanare, in lib. 12. meth. med. scriptum reliquit. Meminitque etiam cucurbitæ usum ad lapidem renum, in lib. de ren. aff. dignot. & med. Cordi, thoracique etiam ad deriuandam humorum ad pulmones fluxionem, adhibendam cucurbitulam esse in lib. 11. meth. med. docuit. Cæterum non solum Hippoc. &
cap. 4. Gal. usi fuere cucurbitulis in occipite, eiusq; partibus & collo, uerum, ut ex iam in medium allatis patet, quamplurimis etiā in alijs corporis partibus, non sine Aegyptiorum medicorum reprehensione, quos cucurbitulis in illis omnibus partibus, raro uti nuper dixisti. Maxime uero, ipsi videntur etiam damnandi, quod rarissime siccis, siue absque scarificatione illis utantur. neque dorso, scapulis, lumbis, cruribusque affigere, in febribus pestiferis eas consuescant, in quibus sanè partibus, tum corporum euacuationis gratia, tum in malignis febribus, ad foras trahendam improbitatem

tem ueneni nostri ferè omnes eas apponunt. ALPIN. Nescio an nostri illis de vsu cucurbitularum plus errent. Aegyptij enim planè contendunt, nũquam affigendas fore cucurbitulas, ni prius uniuersalis uacuatio præcesserit. Proindeq; negant solis cucurbitulis plena corpora posse vacuari. Demum summopere aduersus nostros damnãt vsum illarum in febribus, scapulis, dorso, lumbisq; maximeq; in pestiferis, ad extrahendum veneno imbutum humorum, GVILAND. Quibus rationibus corporum plenitudinem posse solis cucurbitulis vacuari, contendunt, in principijsque morborum haud facta prius vniuersali vacuatione per uenę sectionem, cucurbitularum vsum habere, atque non minus cur easdem in pestiferis febribus ad humorem extrahendum damnent, ex te nunc libenter scire cupio, nam polliceor tibi, me deinceps in medium laturum etiam meam sententiam.

## *An solis cucurbitulis corpora rectè, ac tutò vacuari possint, & num in principijs morborum pro uacuatione sint adhibendæ. Cap. XV.*

### ALPINVS.

IN primis de vsu cucurbitularum pro sanguinis vacuatione loquemur, atque postea de earundem usu pro attractione humoris uenefici ex alto, siue ex penitioribus partibus corporis ad cutim. Verissimum itaque est, Aegyptios damnare usum scarificatarum cucurbitularum, pro tollenda corporum plenitudine, quam aiunt non cucurbitulis illis rectè ac tuto tolli posse, sed solum vel secta uena, vel scarificatione crurum, malleolorumve præstita. Quam sane scarificationem solam vicariam uenæ sectionis affirmant, nequaquam vero cucurbitulas, de qua re posterius nos deliberatius agemus, ubi de ea scarificatione sermonem habebimus. Non debere igitur, neque rectè ac tutò plethorica corpora solis cucurbitulis vacuari posse affirmant, ijsq; rationibus ipsis hoc persuasum est, quoniam arbitrantur, sola sectione magnæ alicuius uenæ, communem corporis plenitudinem vacuari posse, vel etiam cruribus (vt iam dictum est) scarificatis, atque ab appositis cum scarificatione cucurbitulis scapulis, dorso,

atq; lumbis, ſolam fieri particularem euacuationem, quando ſecta magna uena, à qua plurimæ uenæ ramificatæ, per plures partes corporis expanduntur, abſque dubio in vniuerſo corpore fiat inanitio, & ſectis cutaneis uenis nuper dictarum dorſi partium, non poſſint, niſi eæ partes vacuari, quæ ijs venis refertæ ſunt. Quare ab ijs ſcarificatis nõ poſſe à toto corpore fieri vacuationem aſſerunt. GVILAND. Cur magis à ſcarificata cute crurium volunt uniuerſum corpus poſſe vacuari, minimeq; ſcapularum dorſiq; cute eodem modo ſcarificata? quod tamen aduerſari veritati iudico, quoniam dorſi cutis venæ ſunt ſanguinis fonti propinquiores, quam crurum, qua vicinitate cui dubium, quod à caua magna vena illis proxima citius attrahent, atque in maiori etiam quantitate ſanguinem. ALPIN. Reſpondent, quod etſi uenæ dorſi, ac lumborum uenæ cauæ propiores, quam crurum uenæ ſint, nihilominus, quia ad dorſi partes non ita rectè à vena caua venæ illæ accedunt, vel admodum etiam exiles exiſtant, ineptiores eſſe ad euacuandum ſanguinem, quam crurum uenæ; quæ ijs longe grandiores, cum maximis uenis, a uena caua rectius ad crura procedentes in ſuras ſparguntur. Quod docuit Gal. in lib. de diſſectione uenarum & arteriarum, dicẽs. Hinc reliqua magna uena in crus ipſum diuiditur, primam iuxta inguinem emittentes propaginem, quæ cum parua arteria in anteriores muſculos ſpargitur, ſecundum utrinque unam, quæ ex internis partibus ad genu vſque ſubter cutem diſſipatur, ac alias non paucas ad profundiores femorum partes. Cæterum paulo altius quam femur, cum tibia articulo iungitur, in tres partes diuiditur: quarum media, quæ maxima eſt per ipſam deorſum ad poplitem fertur, atque inde per profundũ poſterioris tibiæ partis, quam ſuram dicunt, procedens, non modicam in muſculos eius ramorum ſobolem ſpargit. Sed his dictis iam redeo ad ea, quæ aduerſus cucurbitularum nuper dictum vſum afferunt. Aiunt ſiquidem non ſolum, quia cucurbitulæ dorſi partibus cum ſcarificatione applicatę particularem, & minime totius vacuationem prẹſtare poſſunt, iccirco illis tãtum poſt vniuerſalem factam ſanguinis uacuationem, pro particulari capitis facienda euacuatione, in occipite, atque nuper dictis capitis partibus vti non immeritò conſueuerunt, ſed quòd etiam cucurbitulæ ſanguinem tenuiorem tantum euacuãt, craſſumq; relinquant qui obſtructa fouet, atque exinde putredinem concitat, atque ortam

cap. 8.

tàm adauget. Tenuiorem verò ſanguinem cucurbitulas euacuare cum Auicennæ, multorumq; aliorum Arabum grauiſſimorum medicorum auctoritate, tum non minus ratione uerum eſſe arbitrantur. Auicenna etenim, quem pręcipue in arte medica obſeruant, hęc in lib. 4. ſuæ medicinę ſcripta reliquit, dicens: Ventoſæ
,, cutis partem magis mundificant, quàm phlebotomia, & plus ex- fen. 4. cap. 21.
,, trahunt ſanguinem ſubtilem, quam groſſum. Et ipſarum quidem
,, iuuamentum in corporibus groſſis & craſſis, habentibus groſſum
,, ſanguinem eſt paruum; quoniam ex iſtis non extrahunt ſangui-
,, nem, neque extrahunt ſicut oportet, immo qui ex eo vehementer
,, eſt ſubtilis, & cum difficultate, & in membro uentoſato debilitatē efficiunt. Et hoc, vt dixi, ratione confirmare conantur, dicentes uenas, quas pro cucurbitularum vſu operarij ſcarificant, eſſe tenuiſſimas, atque ferè capillares, per quas craſſus ſanguis exire non poteſt. proindeq; ab ijs ſcarificatis non niſi tenuiorem ſanguinem educi poſſe. Tertio ſubcutaneum etiam ſolum earum ſcarificatione educi affirmant, quando tantum contentus in capillaribus ijs uenis per ſcarificationem ſectis euacuetur, minimeq; ille, quem aliæ penitiores, grandioresq; venæ continent, cum præ ipſius craſſiori ſubſtantia, exiles illas cutaneas uenas ingredi nequeat. quem uiolenti ſua attractione ipſę mouentes, trahentesq; & non vacuantes, multas in ijs venis obſtructiones, ſanguine craſſiore in ipſis multo attracto, atque inculcato, efficiunt. Quamobrem ipſas ſanguinem multum uiolenti ſua attractione commouere, parumque uacuare, eumque ſolum, qui tenuior exiſtit, quique commode cutaneas illas uenas ſectas tranſire poteſt affirmant, hincque multas in corporibus concitari obſtructiones, maximeque in ijs corporibus, quæ à natiuitate uenis, atq; arterijs paruis effecta ſunt. Demum addunt, partes ſcarificatas debilitari, quod & Auicen. in loco nuper audito memoriæ prodiderat. Cæterum quiam bifariam ſolent cucurbitulæ a noſtris cuti applicari, quando ipſorum alij applicent eas, ſcarificatis ſolis uenis minimis epidermicis, cuticulam enim hi quàm leuiſſime ſcarificant. Alijque profundius non epidermidem tantum, verum cutem etiam, atque carnem ſcindentes utuntur ſcarificatis cucurbitulis. Priores in omnia nuper recitata incommoda, ex cucurbitularum applicatione incurrunt. & iſti etſi nō ſolum cutaneū ſanguinem euacuent, ſed etiam ex profundo internarum magnarum uenarum, & multum, tamen

& ipſę

& ipſę tenuiorem educunt, & obſtructiones pariunt, ſcarificatasq; partes labefactantes refrigerant, denſant, atque obſtruunt. GVILAND. Sed quo pacto has cucurbitulas profundioribus ſcarificationibus cuti defixis, quæ copioſiorem, quantus deſideratur, ſanguinem euacuant, iſta omnia incommoda corporibus facere perſuadebunt? cum proxime accedat ſanguinis per ipſas facta uacuatio ad eam, quæ per ſectam venam molimur. ALPIN. Obſtructiones in ueniis ſæpius eas cucurbitulas facere, non eo quod multum ſanguinis ſolum ab vltimis uenis euacuant, ſed quod id ualde uiolenter trahunt ad ipſas, vt uacuent. GVILAND. Multum quoque ſanguinem vena ſecta euacuat, non tamen obſtructionem parit. licet aliquãdo fiat, ubi in ſtomacho & hypochondrijs plurimæ cruditates exiſtunt. Gal. in lib. de ſanit. tuenda ait, quod ſi illis qui cruditatibus in ſtomacho, & hypochondrijs exuberant, ſanguis dematur, vel frictiones, ac balnea moliantur, proculdubio, omnes cruditates illæ in uniuerſo corpore à uenis rapientur, atq; ijs obſtructiones, putredines, febresq; contingere. ALPIN. Cucurbitulas, cum magnis profundioribusq; ſcarificationibus adiectas, plurimum ſanguinem exhaurientes, obſtructionum multarũ ſæpe eſſe cauſam eorum locorum medici ex hoc demõſtrant, quod neceſſariò ex copioſa per ipſas facta ſanguinis uacuatione, tota maſſa ſanguinis in uenis contenta per corpus ad cutaneas capillaresque uenas cutis trahatur, cuius craſſior pars, uel ſanguis craſſior tranſiens per anguſtiores uenas, eas ſæpe obſtruit. hincque in corporibus craſſiori ſanguine exuperantibus, ſimulque venis à natura minoribus, refertis, qualia ſunt melancholicorum multorum corpora, ualde ſuſpecta iſtæc per cucurbitulas ſanguinis vacuatio non immeritò eſſe ſolet. Cur vero itidem venæ ſectione facta, ſanguinis copioſa euacuatio non ita, ut cucurbitulis operata facile obſtruet, dictu (aiunt) non eſt ualde difficile, quoniam uena ſecta, multoq; ſanguine inanita, non ſolum à radicibus uenarum, in quibus pars ſanguinis crudior craſſiorq; reſidet, ſed multo plus à uenis omnibus ab ea procedentibus, vſque ad cutem, quæ multò minores ipſa exiſtunt, quæque ſanguinem continent puriorem, atque tenuiorem trahit, hincq; probè à medicorum vulgo creditur, uenæ ſectionem trahere à circumferentia ad centrum, quoniam is ſanguine in amplioribus prioribus venis contento, longe purior & tenuior exiſtit, ut in ſubſtantia illarum nutriendarum

rum ab ipſo corporis partium quàm facile mutari poſſit, à quo ſanè ſanguine non ita facile, veluti à primis venis prodeunte, venæ illæ obſtrui poſſunt. GVILAND. Vulgaris tamen medicorum opinio eſt, quod cucurbitulæ à centro venarum ad circumferentiam trahant, quod tamen ſi uerum Aegyptij dicerent, contrarium uerum eſſe nos fateri oporteret, ſcilicet non ſolum cucurbitulas a centro ad circumferentiam, ſed contra potius à circumferentia ad centrum ſanguinem trahere, quod nulli hactenus ex noſtris animaduerterunt. tamen veriſſimum etiam hoc eſſe iudico, quando verum ſit, atque planè expertum, venas ſanguine inanitas, uacui ratione, ut repleantur, trahere à uenis proximis, & proximas à proximis uſque ad ultimas uenas, quæ uenarum radices, chylum à ventriculo inteſtinisque exugentes uocantur. Venarum itaque centrum æque in medio radicum venarum, quæ in menſenterio ortum habent, meſeraicæq; dicuntur, atque capillarium, cutanearumve poſitum eſt, atque meſeraicæ & cutaneæ extrema, per quę fiet circumferentia. ſit enim venæ meſeraicæ, uel uenarum principium A, & ipſarum centrum B, atque cutanearum uenarum finis ſit C. Quantum igitur uenæ C, cucurbitulis trahent à B, tantundem B, trahet ab A. Quamobrem veriſſimum erit quod cucurbitulæ multum ſanguinem uacuantes, trahent ſanguinem contentum in venarum centro, & venæ centri a primordijs vſque ipſarum venarum. Qua ratione apparet manifeſtiſſimum, cucurbitulas à centro trahentes puriorem ſanguinem, atque tenuiorem in ijs uenis contentum ad cutim trahere, & euacuare, & ad centrum inanitum trahi impuriorem, crudioremque & craſſiorem, qui a primis venis chylum à ſtomacho exugentibus, ad magnas uenas trahitur, atque alijs in alias. ALPIN. Ad vnguem illorum mentem conſpicuam effeciſti, qua uia, purum tenuemq; ſanguinem, venas cutis pro cucurbitulas ad ſe ab internis, & crudum craſſumque internas iecoris uenas à meſeraicis trahere planè cognoſcitur, atque ab hac vltima uenarum attractione obſtructiones fieri poſſe. Quod eaſdem facere cucurbitulas trahentes per uenas ſanguinem, uiolentia, & non ſenſim ac ſenſim, ac in uenæ ſectionis, & crurum ſcarificationis uacuatione fit, etiam ſtatuunt, quando earum uiolenti attractione, craſſi crudique humores indiſcriminatim per uenas trahantur, a quibus multæ facile obſtruuntur. Hisq; de cauſis Aegyptij nunquam plenitudinem corporum cucurbitulis tollere audent,

dent, ijsq; tantũ utũtur pro partis alterius uacuatione post vniuersalem vacuationem molienda. GVILAND. Rectè sanè mihi uidentur illi vsum cucurbitularum pro euacuatione complecti, atq; affectare, securiusq; corpora uacuare, quàm nostri medici ferè omnes faciãt, qui ferè in omnibus corporibus statim nulla effecta totius uacuatione, ad affigendas sine discrimine cucurbitulas se conferunt, sæpeq; non citra ęgrotantium noxam, & ipsorum non paruo cum dedecore, purgatis etenim corporibus eas tantum usum habere Gal. multis in locis docuit. in libro enim de curat. per sang. ,, miss. de his ita scripsit: Cucurbitulę purgatis prius corporibus, ,, vtiles quidem, sed in repletis (quę plethorica Græci uocant.) prę- ,, termittendę sunt. & in lib. 11. meth. cap. 17. ait: Quippe foras tra- ,, here potius, quàm eprimere in eo debemus: itaque etiam cucur- ,, bitula vtiliter ijs, qui sic laborant, si prius sint uacuati, applicabi- ,, tur. si uero abundantia succorum, quam vocant plethoram, in his ,, sit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transfert, ,, quam ex toto corpore attrahet in utrumque. & cap. 18. dixit: In ,, phlegmonis cerebri, membranarumq; initio cucurbitulis uti me- ,, dici non debent, sed finita fluxione, & prius toto corpore vacua- ,, to. & in lib. 13. cap. 19. dixit: Verum utendum cucurbita in ipsa ,, parte, quę phlegmone urgetur inter initia non est, immo postea ,, quam totum corpus uacuaueris, ac necessarium sit eorum, quæ in ,, inflammata parte continentur, aliquod educas, atque eruas, aut etiam foras uersus attrahas. ALPIN. Multi respondent Galenum locutum ibi fuisse de cucurbitulis citra scarificationem affixis, quas vulgus medicorum siccas appellat. quarum usum pręcedere debere aiũt totius corporis vniuersalem vacuationem, quod in scarificatis non est necessarium, quum hę possint abunde corpus uacuare. GVILAND. Gal. in lib. de cucurbitulis explicat, vtrisque vacuationem pręire debere, his profectò uerbis: Incipientes au- ,, tem & vigentes capitis grauitates, ac dolores a plenitudine reuul- ,, sio per cucurbitulam in occipite positum, vel sola, vel cum scarifi- ,, cationibus iuuat: verum totum corpus antea vacuatum esse opor- tet. idemque ijsdem omnino verbis in lib. de curat. per sang. miss. cap. 19. planè confirmauit, ibi enim iubet omnino totum corpus uacuari priusquam cucurbitulę applicentur, vel id fiat cum scarificatione vel sine scarificatione. Non desunt medici grauissimi, qui Aegyptiorum usum laudare nituntur, pręsertimq; in febribus pestilen-

tibus,

tibus, in quibus ſolent exanthemata, uel maculę in cute apparere, quibus plerique his cucurbitulis vacuantes ſanguinem, medentur, cum uideant naturam per cutim excernere, atque Hippo. in apho. pręceperit medicos ſequi debere motus naturę, atque per uiam qua ducere natura humores tentat, ipſos vacuare humores debere. Dicebat olim quidam medicus Clariſſimus, aliqui aiunt euacuare nolumus niſi per cutim, quia quo natura vergit, ſi per conuenientia loca, eò ducere oportet, & cum cutis ſit conueniens regio, quoniam inter membra, quę naturaliter ſuſcipiunt excrementa, cutis eſt talis, ideo per eam euacuare poteritis. Cum ſcarificationibus etiam? reſpondebitis quod ſi materia erit pauca, nec multa in ue-
,, nis, nec multum craſſa, ita quod repletio pauca ſit, poteſt tunc na-
,, tuta adiuuari: Sed in febre peſtilenti, ubi materia eſt multa, ſi cum
,, illis maledictis cucurbitulis exterius trahere velletis, nihil eſſet de-
,, terius, quia ſubtile traheretis, & remaneret craſſum: Calorem mi-
,, nueritis, & putredinem augeritis: ideo vel cum phlebotomia, vel cum medicinis euacuantibus euacuabitis Addunt Aegyptij, quod vſus cucurbitularum in feb. peſtilentibus pro uacuatione molienda non eſt utilis iudicandus, tum ob ea multa, quæ ab ijs eueniunt incommoda, tum præſertim, quia hæ corpora non vacuant, ut facit natura rectè operans, vel vt docuit Gal. in lib. de diff. feb. qui dixit, febrium peſtilentium curationem duobus comprehendi, atq; adminiſtrari, ſcilicet ſiccatione, atque meatuum tranſpiratione, corpora etenim ipſa ita febrientia, vt curentur, debent exſiccari a copia humorum, tum obſtructionem faciente, tum obſtructa fouente, atque tranſpirabilia fieri. ſecus autem facere cucurbitulas in ipſis corporibus ſtatuunt, cum ipſæ euacuando exſicca ndoque, obſtructiones multas pariant, modo nuperrime iuxta ipſorum ſententiam explicato. Non deſunt multi medici etiam illuſtriſſimi contrariam ſententiam ueram affirmantes, qui vſum cucurbitularum in vacuandis corporibus idoneum, ac vtiliſſimum eſſe ſtatuunt: præſtantiſſimumque auxilium, venæ ſectionis uerè uicarium, & in corporibus virium cauſa non ferentibus uacuationem ſanguinis per uenam ſectam, ad primę tutum, ut ex Auicenna (à quo fortaſsè alicuius cucurbitularum vſus originem duxit.) lib. 1. legitur, qui dixit, cucurbitulas in multis corporis partibus ſanguinis vacuationem rectè pręſtare, ſed præſertim cruribus applicatas, proximas eſſe ei, quæ venæ ſectione fit. ipſe enim ibi ſcri-

pſit

,, psit de his in hunc modum: Et ventosæ quidem, quę cruribus su-
,, perponuntur sunt minutioni propinquæ, & mundificant sangui-
,, nem, & prouocant menstrua. Hoc vero clarius à Cornelio Celso,
cap. 10. ijs vtique verbis nobis etiam persuasum est. in secundo enim libro
,, hæc scripta reliquit: In acutis quoque quibusdam si & leuari
,, corpus debet, & ex vena sanguinem mitti, vires non patiuntur, id-
,, que auxilium, vt minus vehemens, ita magis tutum. Neque vnquã
,, periculum est, etiam si in medio febris impetu, etiam si in crudita-
,, te adhibetur. Ideoque vbi sanguinem mitti opus est: si incisa ve-
,, na pręceps periculum est, aut si in parte corporis etiam vitium est,
huc potius confugiendum est. Non minus apud Antyllum fuisse in vsu scarificatas cucurbitulas pro oppletis partibus, ex Oribasij libro septimo, manifeste constat. Nec minus pauci ex recentioribus medicis existunt, qui ipsarum vsum pro corporibus vacuandis summopere commendant, neque difficile est, medicorum nostratium ferè omnibus id persuaderi, quando hic euacuandi per cucurbitulas modus sit familiarissimus, plebique admodum receptus. Patroni cucurbitularum, nuper ab Aegyptijs allatis rationibus alijs medicis, aduersus cucurbitarum affectas excogitatis, atque obiectis, respondent, cucurbitulas copiosissimam sanguinis vacuationem, magnis factis scarificationibus, nec non eas, etiam quæ etiam superficiarijs moliuntur, epidermidis incisionibus in multo numero applicatas, varijs corporis partibus efficere posse, qua detracta per partem post partem, cui dubium, partibus multis ab ipsa vacuatione inanitis à toto corpore trahentibus, fieri totius corporis vacuationem. Nequeunt tamen ijs sanguinem tenuiorem tantum vacuari, atque crassiorem egerrime, non fateri,
li. 4. sen. 4. cap. 11. cum Auicen. hoc idem admodum aperte confirmauerit, literisq; tradiderit, in corporibus crassiori sanguine constantibus per cucurbitulas sanguinis vacuationem paruæ esse vtilitatis, quoniam in ipsis hę non extrahunt, vt par esset, sanguinem, & id ipsum cum difficultate. Neque recta ratione negare possunt, per tenuissimas cutis venas crassum sanguinem non facile transire posse. Sed aliqui in medicina etiam viri grauissimi non omnino abeunt sine ratione, dicentes, ut huic dubio satisfaciant, antiquos ob id medicos doctissimos monuisse, vt applicationes cucurbitularum, frictiones fotusq; calidos pręcedere debeant, ut sanguis sic attenuetur, pareturq; ad excretionem. Quod tamen non videtur omnino credendum,

dum, quando, priusquam applicentur cucurbitulę, cute vel fricata, vel fotu aliquo vel balneo laxata, sanguinem in vniuerso corpore contentum posse attenuari non sit dicendum, is si quidem tantum attenuabitur, qui sub cute erit, ad quem facultas frictionum vel fotuum peruenerit. Cucurbitulæ vero iuxta ipsos vacuant non à partibus subcutaneis, verum etiam ab omnibus venis corporis, ad hoc vt per ipsas facta euacuatio, totius & non alicuius partis, vel particularis, sed vniuersalis sit dicenda. Oporteret uerò, ut æquè rectè omnium corporis venarum crassus sanguis attenuaretur, vniuersum vel corpus fricari, vel in balneo per multum spacium temporis morari, ut Auicennas in lib. 1. his uerbis testatus est, Et
„ oportet quidem, ut à uentosis sibi quilibet caueat post balneum,
„ nisi cuius sanguis fuerit grossus, quoniam ipse se prius balneari
„ debet, & una hora morari, & postea uentosas apponere. Sed quam tutum sit in plethoricis corporibus, non præcedente vacuatione totius, præsertimq; in principio febrium putridarum, balneum vel frictiones, quæ omnia sequi debent corporis probam euacuationem, administrare, illis relinquo iudicandum. etenim notissimum est omnibus in Galeni doctrina versatis, nunquam febricitantes balneis uti posse ante humorum concoctionem, qua morborum principia omnino carent. Negant etiam isti cucurbitulas scarificatas a primordijs vsque uenarum incoctum sanguinem trahere, multoq; minus obstruere venas, quod tamen, si hæ copiosam vacuationem præstiterint, necesse est fieri debere, cum nequeat educi copiosus sanguis à cutaneis uenis, nisi eędem à proximis attrahentes, & proxime à proximis vsque ad ipsarum radices peruenientes repleantur. Quod non eueniet si paucus sanguis his extrahatur, quoniam priusquam attractio ad primas uenas perueniat, sanguinis in venis cutaneis inanitis repletio, siue reditio fiet. Neq; etiam necessariò, etsi fiat vsque a prioribus venis ad vltimas attractio, venas obstrui erit affirmandum, cum corpora ita latioribus uenis prædita sint, ut sanguis etiam crassissimus, non ita difficile ipsus permeare ac transire queat. ueluti tenuioribus venis referta corpora ad obstructionem ea uia non erunt inepta. Paucum etiam sanguinem ducentes, vel nullum, multumq; attrahentes & modicũ vacuantes, cui dubium quod, quàm facile ex multo in illis uenis vi attracto, & conculcato, obstruendi occasionem dabunt. Aiunt uero vtroq; modo applicatis, cutem, cui sunt applicatæ, debilitari, ex

con-

contentiq; in ipsa sanguinis vacuatione primo refrigerari, & mox eius omnes meatus constipari, atque obstrui. Quod febricitantibus inutile & noxium erit. cum una indicationum curatiuarum sit corporum obstructa liberare, ipsaq; corpora transpirabilia reddere. Quibus si responderent, cutis eundem calorem amissum ex vacuatione sanguinis, ex nouo attracto sanguine restaurari, uerum haud planè erit, cum tunc temporis nequaquam pars queat restitui in pristinum statum, ob suscepta vulnuscula, minusq; solita copia sanguinis repleri, quanta cutis per cucurbitulas fuerat priuata. Negant non minus dorso appositas cucurbitulas probam sanguinis vacuationem facientes, posse ad cordis regionem, multum sanguinem trahere, etsi etiam intra aliquod viscus aliqua fuerit inflammatio, eam posse magis augeri. Cum tamen Gal. contra illos
,, apertissime sentiat, qui in lib. 11. meth. ita scripsit: Quippe foras
cap. 17. ,, trahere potius, quam reprimere in eo debemus: Itaque etiam cu-
,, curbitula utiliter ijs, qui sic laborant, si prius sint vacuati, applica-
,, bitur. Si uero abundantia succorum, quam uocant plethoram.
,, in his sit, nõ magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi, trãs-
,, fert, quàm ex toto corpore attrahet in utrumq;. Sed ex me hæc obiter dicta de his sint. ALPIN. Verum cum tu GVILANDINE doctissime utrorumq; de vsu cucurbitularum pro vacuatione corporum rationes animaduerteris, easq; fueris contemplatus, quęso tuam profer sententiam hac de re ita ancipiti, qua ego uere possim de illarum vsu atque vtilitate statuere, quando hactenus pro isto negotio huiusmodi usum non parum pertimuerim, ac ferè abhorruerim. GVILAND. Non paruam occasionem fuisse arbitror, ut medici non modo doctissimi, uerum etiam grauissimi existimauerint, cucurbitulis posse corpora etiam plethorica rectè vacuari, quod ipsi tum apud Gal. tum apud alios celebres medicos legerint, crurum scarificationem posse idem prestare, quod uenę sectio, unumque atq; idem putantes esse hanc scarificationem, & cucurbitulas scarificatas. Quam ob causam non est mirum si vsum cucurbitularum tãtum pro uacuandis corporibus, ubi uel uires non præualidæ, uel ætas, vel aliquod aliud non ferat missionem sanguinis per uenam sectam, laudauerint. sed quanto in errore isti uersentur, posterius, ubi de nuper dicta scarificatione sermonem habebimus, ex te rectè audire spero. Diuersissimam uero rem esse nuper dictam scarificationem a cucurbitulis, ex Galeni, Oribasijq; testi-

monio,

monio planè constare videtur, ipsi enim & Apollonius, Antyllus separatim de utroque auxilio scripsere. Quam ueritatem medici aliqui etiam huius temporis præclarissimi rectè nouerunt. Cum itaque plerique idem auxilium cucurbitulas, atque scarificationem illam afferre pro certo haberent, mirum non est, si legentes apud Galenum in 2. lib. aph. eam esse proximam uenæ sectioni, atque in lib. de sanit. tuen tantundem valere, quod uenæ sectio ualet, & in lib. 13. meth. corpus plethoricum vacuari aut venæ sectione, aut scarificatis malleolis, usum cucurbitularum vicarium esse statuerint. Sed an nos tutò uti possimus in plethoricis corporibus tali uacuatione, vel in febribus putridis etiam uacuationis gratia, nunc dicam, quid huius rei sentiam: in primisq; censeo nullo pacto medicos moliri debere sanguinis uacuationem in plethoricis corporibus per cucurbitulas, ubi nihil sit, quod uenæ sectionem uel crurum scarificationem prohibuerit. nam sum huius firmissimæ sententiæ, q; cucurbitulæ sint auxilia partis, quę sequi debeant totius corporis vacuationem, quod ex Galeno superius cognitum est, qui dixit cucurbitulas occipiti applicandas uel cum scarificatione, uel sine, sequi debere totius corporis vacuationem, atque in hoc non possum non nisi multum Aegyptios hoc modo illis utentes post vniuersalem uacuationem, summopere laudare, minimeq; tutum auxilium in corporibus plethoricis cucurbitulas esse existimo: multoq; magis, si ea corpora crassioribus succis abundarint, in quo casu eas omnino abhorrerem, ne ab ipsarum tractione, sanguine illo multo in uenas attracto multæ obstructiones fierent. Hincq; Galenum in lib. de curat. per sang. miss. in corporibus gracilioribus, nigrioribus, scarificationi crurum prætulisse venę sectionem non immeritò iudicaui, quia ea corpora constant sanguine crassiori, qui neutiquam per uenas cutis paruas facile uacuari potest. Quare si ijs ait eam non conuenire scarificationem, quæ fit, maioribus illis crurum venis profundius scarificatis, quanto magis putandum erit cucurbitulas scarificatas non conueuire, tum ob periculum obstruendi ex crasso illo sanguine uiolēti attractione per uenas moto, tum ob paruas cutis uenas, non etiam profundius scarificatas, quas ob crassitiem commode transire nequit. Itaque neque in ijsdem corporibus putrida febrę correptis per ea molienda erit euacuatio, prę sertimque in quibus copiam crudorum crassorumq; humorum adesse significatur, in ijs enim summe exi-

aph. 17. cap. 4. cap. 5.

in lib. de curat. per sang. miss.

tiosus creditur usus cucurbitularum, quoniam purior, tenuiorque sanguis vacuatur, crassior & crudus remanet, atque natiuus calor diminuitur. Talium verò crassorum humorum crudorumq; copiam attestantur, vrinæ crasse, vel cum crassis contentis albis pituitosis obseruatæ, quales ego Cayri, Genuæ, Bassani in epidemica pestiferarum febrium constitutione, ferè in singulis obseruaui. Sudoresq; frigidi, vel multi noctu apparentes non ex multo cibo orti, atque alia huiusceemodi generis multa, quæ breuitatis causa hic taceo. In interna etiam visceris alicuius inflammatione dorsi partibus applicatæ cucurbitæ summe erunt perniciosæ, quoniam in partem affectam sanguinem multum trahentes, augebunt necessario putredinem. Non conuenient etiam in febribus putridis ijsdem partibus appositæ, quia cutem, sanguine multo ab ipsa vacuato, refrigerant, atque constipant. Vbi uero sanguine neq; multo neque crasso abundarint, pro moderata sanguinis uacuatione facienda, necessitate coactus aliquando mitti sanguinem etiam tutò posse ijs affirmarim, multoq; magis cruribus applicatas. sed consulo tamen omnes medicos, vt vice harum, libentius vtantur suarum scarificatione more Aegyptiorum absoluta; atque hæc est mea sententia circa vsum cucurbitularum pro vacuatione corporum, cum scarificatione applicandarum. ALPIN. Rectissimam atque verissimam esse tuam istam sententiam iudico, meq; ei libenter totus subscribam: quare lubet mihi nunc nonnulla exempla, huic veritati planè conducentia, narrare. Cayri enim dum morarer, duosq; iuuenes Gallos maligna febre correptos in Aede Pauli Mariani Veneti pro Galliarum Rege Consulis clarissimi, prę manibus haberẽ, non tamen eodem vtrumq; tempore, obseruaui ab applicatis dorso cucurbitulis, paulo post in lethalem pulsus intermissionem deuenisse. Idemq; Bassani in Minerua Forcatura matrona honestissima eadem febre laborante a me obseruatum est. Quo in loco binos etiam homines euacuationis gratia Vastaniam villam profectos, atque in æstuarijs, à multis applicatis vniuerso corpori cucurbitulis in acutas febres incidisse, quorum alter, qui Bassanum habitabat, qui meæ curæ commedatus fuit vix seruatus fuit, alterum ruri degens inopia medicorum non rectè curatus, obijt. Venetijs etiam filius Bartholomæi Falgherij iuuenis eodem modo à cucurbitulis in æstuario in acutam febrem incidit, qua tamen liber euasit. ex his ergo videre possumus

atque

atque planè etiam cognoſcere, cucurbitulas & obſtruere, & ad intimas partes corporis trahere, nam quis non fatebitur, binos illos viros Baſſanenſes, atque nunc Falgherium a cucurbitulis in venarum magnarum obſtructionem craſſis, crudisq; vi cucurbitularum intus deductis primo, atque non minus in meatuum cutis conſtipationem, & inde auerſa putredine in febrem putridam incidiſſe? vt & Gallos illos & Forcaturam, pariter in pulſus intermiſſionem, ex multo ſanguine crudo in regione cordis ui ipſarum attracto, quo ſuffocati perire, vt ex Gal. in 3. lib. de preſag. ex pul. proditum eſt. Sed his auditis, melius erit, ad alterum propoſitorum diſſoluendum per tranſire.

## *An errent Aegyptij medici nunquam vtentes cucurbitulis pro adiuuanda exanthematum eruptione. Cap. XVI.*

### ALPINVS.

ALTERVM caput reliquum erat explicandum de vſu cucurbitularum propoſitum, quippè Aegyptios in febribus malignis ad apparitionem exanthematum, nullis vti cucurbitulis, quod multis ex noſtratibus medicis auxilium ſelectiſſimum eſſe ſolet. Nam hi in iſtis febribus applicant ad decem vſque & plures cucurbitulas vniuerſo corpori, interdum ſcarificatas, atque interdum citra ſcarificationem, vt ex alto a partibus nobilibus ad cutim uenenum auellant. Quem vſum omnino illiuſce regionis medici omnes formidant, atque abhorrent, preſertimq; ſi eæ dorſo applicentur, eumq; multis de cauſis damnare ſolent, precipueq; quod omnibus fere corporibus à peſtilenti febre vexatis communiſſima res ſit, copia multa craſſorum crudorumq; humorum, quod arguere ſudores frigidos, uel multos in ipſarum febrium principijs, viſos, vomitusq; craſſos, ac viſcidos, & vrinas craſſas, vel ipſarum craſſa, multa pituitoſaq; contenta, atq; alia huiuſce generis multa, affirmant. Neque abſque ratione in his febribus adeſſe multi in venis humores craſſi, & viſcidi dici poſſe videntur, quando in illis corporibus non deſit copia caloris febrilis, humorum ichorem cõſumentis, qua via illi tum craſſeſcunt, tum len-

torem accipiunt. Qua humorum istorum copia in ijs corporibus existente, applicare cucurbitulas valde timent, ne ex attractis crassis ijs, viscidisq; per venas succis, multas concitent obstructiones. Non scarificatas inquiunt, plurimum trahere, & parum vacuare, ex quo multo attracto facile partes hæ obstruuntur. Scarificatas etiamsi aliquid educant sanguinis, puriorē tamen, & tenuiorem vacuare crassioremq; relinquere, & violenta attractione inęqualiter omnium humorum copiam attrahere. Præterea nullo pacto aiunt, vt supra dictum est, dorsi partibus applicatas posse ijs febribus esse alicuius vtilitatis, cum hæ primo in uenas proximas cordi trahant noxios succos, atque vacuato etiam sanguine, cutem refrigerent, densent, atque eius meatus obstruant, & calorem naturalem imminuant, vacuato multo ijs sanguine puriori, & tenuiori; Præterea addunt, eruptiones exanthematum esse adiuuandas trahentibus ex alto ad cutem veneficos humores, sensim ac sensim sine violentia, vt natura facere sæpe solet, quæ sæpe incipit expellere puncticulas ad cutem quarta die, & paulatim singulis diebus paululum expellendo, vsque ad septem, & plures etiam dies quandoque expellere desinit, quoniam per tenuissimas venas non est ita facile noxios totos humores posse semel deducere, atque expellere: & ob id paulatim, & non sine magno iudicio pluribus diebus expulsionem perficit, scilicet modicum coquendo, & illud modicum vacuando. nam cum succos veneficos habeat inæqualiter concoctos, quod illorum paratum est ad expulsionem, statim expellit, mox crudum atque ineptum digerit, & parat, cuius cum modicum percoxerit, atque deuinxerit: statim (nequit enim ipsum ob eius improbam, & venenosam naturam intra venas continere, ne alios corrumpat, uel ad nobile viscus deferatur.) expellit, atque ita totam expulsionem perficit, paulatim, vt dixi coquendo, & paulatim etiam expellendo. Sed cucurbitulæ statim ad partem cui affixæ sunt attrahunt multum tum concocti, tum crudi humoris intra uenas existentis, neque solum expulsioni per concoctionem paratum humorem trahunt, sed incoctum etiam, qui cum nequeat per paruas illas uenas egredi, proculdubio obstruit, putredinemq; auget, & febrem, & malignitatem. Proinde medicus attrahens per cucurbitulas, naturæ motum non imitatur, quia natura tantum præparatum humorem expellit, at cucurbitulæ simul etiā crudum, hæcq; aduersus cucurbitulas in febribus pestilentibus applicandas

plicandas illi obijciunt. GVILAND. Hæc eadem multi alij ex nostris medicis dixere, sed multi tamen sunt Clarissimi medici oppositæ Aegyptiorum sententiæ addicti, qui summum esse auxilium cucurbitulas in pestilentibus febribus persuadent, aiuntq́ue quocumq; modo à nobilibus partibus longius uenenum detrudatur, siue cucurbitulis id fiat, siue alia ratione, summum semper inde sequuturum auxilium, naturæq́; plurimum adiumenti; quoniam vbi à membris nobilibus longè aberit venenum, natura erit fortior, agetq́; in reliquum humoris commodius, & robustius. Quod si humor venenosus, naturæ ex toto genere inimicus propè præcipua membra in uenis magnis relinquatur, naturam necessario labefactabit, siue ut ita loquar, coarctabit, vel in angustum rediget, quæ nihil aut parum roboris præstare poterit ad concoquendos, & expellendos noxios succos, qui facile in pręcipua viscera recurrentes exitium inferent. Quare tutissimus erit usus cucurbitularum, quæ ex alto ad cutim venenum pertrahant, neque cutis partes, quibus applicitæ fuere cucurbitulæ, etsi vacuato sanguine modicum refrigerentur, & constipentur, debemus vllo pacto ab ijs prohibere, corpore tamen toto prius, tum vacuato, tum purgato, quoniam quam leui negotio nuper dictis partibus proprius calor restituetur, atque meatus etiam cutis aperientur, uel aliqua frictione leui, uel calida illinitione, qualis est, quæ ex Ruffi mente paratur oleo aliquo laxatiuo, & nitro, et si dicant, ab ijs fieri obstructiones, à quibus augetur putredo, eiusq́; gradus, alij respondent, neutiquã posse fieri obstructiones, quando præcesserit illis totius exquisita uacuatio. quoniam cum ijs vel nullus, vel paucissimus sanguis uacuatur, tollitur occasio trahendi à radicibus venarum sanguinem crudiorem, quod illucusque attractionis motus nequeat peruenire. & si obstructiones aliquæ in paruis, sub cute existentibus uenis accident, cum totus sanguis attractus illuc remaneat, eæ & minoris sunt momenti, atque etiam non difficili negotio tollentur, aliqua leni frictione, vel illitione illo attenuato sanguine, atque resoluto. parum etiam naturalis caloris dissipari potest, cum uel nullus (ut iam dictum est.) vel paucissimus sanguis in ijs vacuetur. Quod etiam non sit timenda attractio in cordis regionem, apparet ex Galeno, qui vt iã superius visum est, in lib. 11. meth. in pulmonum inflammatione cucurbitulam pectori tutò esse applicandam statuit. uerba eius hæc existunt: Ac longè quidem magis in pul- cap. 17.

,, monis phlegmone abſtinendum ab adſtringentibus eſt: quando
,, in eo ipſis quoq; relaxantibus admiſcendum aliquid acrium quo-
,, damodo,& euidenter calfacientium eſt: quippè foras trahere po-
,, tius quàm reprimere, in eo debemus. Itaque etiam cucurbitula
,, vtiliter ijs,qui ſic laborant, ſi prius ſint vacuati,applicabitur. Ad id vero quod de inæquali cucurbitularum attractione obijciunt, eas ſcilicet, inæqualiter coctum crudumque humorem abſque diſcrimine attrahere, neque naturæ excretionem criticam imitari paulatim coquendo, & paulatim expellendo, fatentur uerum eſſe, ſed hoc nihil tamen eſſe detrimenti, quod vtilius ſit uenenum a corde longius diſtrahi, quam crudum humorem in paruis ijs uenis vi attrahi, atque ipſo ſic attracto aliquas fieri obſtructiones, quas mox poſſumus attenuato humore rurſum aperire, ſed non ita facile uenenum intra uenas contentum, & in uiſcera recurrentem prohibere poſſumus, quo in uenis magnis retento,natura ita læditur, labefactaturq;,ut nihil,uel parum contra, tum ipſum iam vehementer putrefactum,tum illum,qui in uia ad putredinem eſt, agere poſſit, quare ſatius erit ipſum cucurbitulis a magnis uenis amoliri. ALPIN. Itaque ex his errare Aegyptios uideris affirmare,cum à cucurbitulis illis omnino abſtineant, neque immeritò uſus illarum laudabitur, cum foras ad trahendum venenum cucurbitula cæteris pręſidijs pręſtet. GVILAND. Neque dicam ipſos omnino errare, neque recte ſe gerere, cucurbitularum vſum non ſequentes in febribus illis, earum loco quibuſdam illinitionibus, ac frictionibus idem potius pręſtantes. In corporibus ſi quidem craſſis multis ſuccis ſcatentibus, eas eo modo applicatas haudquaquam laudare poſſum, cum eæ certo certius obſtructiones multas pariant, a quibus putrefactus humor maiorem putredinis gradum neceſſario adipiſcitur, neque etiam in alijs corporibus, vbi nondum apparet ad viſcera noxios humores venenoſos inclinare,quod facile oſtendunt,ęgrotos non omnino eſſe inquietos,recteq; reſpirare,nulloq; dolore, vel angore ipſorum cor angi, recteq; dormire, beneq; mente ualere: veluti contraria accidentia ſi extent,contra arguent,proindeq; vrgente occaſione tantum applicationem cucurbitularum laudarem,quibus uenenum longe à principalibus membris auelleretur. Quibus vero partibus tutius vtiliusq; ſit eas affigere, ego dorſo magis, quàm cruribus affigendas fore cenſeo, niſi uacuationis gratia ijs applicarentur, quo

caſu

casu vacuatio multo sanguine procuratur. post vniuersalem vero factam vacuationem, venenosos humores diuertendi a visceribus gratia, nõ videtur idonea larga sanguini missio, qua necessario vires collaberentur, sed ipsis cucurbitulis diuersionis gratia applicatis, paucum sanguinis mittitur, qui si a cruribus ijs mitteretur, vim non haberet à corde venenum attrahendi ad ignobiles partes, quoniam sanguinis illa modica vacuatio, attractionem in uenas concitabit, quæ vel non perueniet ad cor, vel si peruenerit, admodum, debilis atque inefficax erit ad trahendum venenum ad partes quibus applicitæ sunt. Quod inutiles non sint cucurbitulæ in febribus pestilentibus, præsertimq; in apparitione exanthematum experientia quotidiana confirmat. In elapsa enim pestilentia sæpissime expertum est vel ad tumores, bubonesq; maxime, & parotides promouendas vel ortas, quin retrocedant, retinendas, vel quę euanauerint uel retrocesserint rursum euocandas, nihil cucurbitulis præstantius. Multis enim scio eo tempore cucurbitulas summe contulisse ad magnificandos tumores, atque ad intus absconditos reuocandos. Exemplum dignissimum habeo, quod maxime faciet ad illustrandam hanc veritatem. Georgius Selaccus Chyrurgiam Venetijs exercens, in ea pestilentia vxore eius peste correpta cum tumore in inguine, narrat, se cum uidisset tumorem illum insignem (quam facile sæpissime imminutum, & euanescentem) vel imminui, atque intus recurrere, quòd continuò mulier delira euadebat, quo statim cucurbitula sæpe inguini cum igne apposita, iterum ad solitam magnitudinem tumore illo reuocato, atque peraucto, statim sana mente redebatur, sæpissimeq; dum ipsa ægrotaret hoc obseruauit, coactusque iccirco fuit sæpissime cucurbitulis diminutum ac fere euanescẽtem tumorem foras trahere, quod sanè semper succedebat. Quo facto semper eius uxor ad sanam mentem redibat, atque vbi rursum aliquo pacto bubo minueretur, delirium ipsam rursum inuadebat. Testaturque mulierem, quo tempore ab apposita tumori cucurbitula affligebatur, semper mente sana extitisse, qua subitò excidebat, tumore intus recurrẽte, sanaq; rursum eo cucurbitula foras attracto. Quod sanè exemplum conspicue satis ostendit, quantæ vtilitatis sit iudicanda cucurbitula ad auellendos venenosos humores à membris præcipuis, atque adiuuandas omnes naturæ excretiones, vel symptomaticas vel criticas illas vocemus, atque hæc arbitror sufficere

nobis posse in hac die, quando sermonem nostrũ longius nos prosequi nunc nox, quę iam nostris oculis tenebras obducere incępit, prohibeat, proinde finem hodierno sermoni demus. ALPIN. Rectè suades, nam totum quod de missione sanguinis apud Aegyptios vsitata, nos loqui proposueramus, vix toto sequenti die absoluere poterimus, nam de uarijs pro sanguinis euacuatione scarificationibus, quibus illi vtuntur, etiam superest loquẽdum, quibus peractis, si aliquid temporis eo die supererit, nos multa alia ad partem chyrurgicam pertinentia, valde & ipsa scitu digna prosequemur.

FINIS LIBRI SECVNDI.